

A P O L O G I A
IOANNIS GENESII
SEPVLVEDAE
PRO LIBRO
DE IVSTIS BELLI CAVSIS

AD *amplissimum, & doctissimum*
præsulem .D. ANTONIVM
RAMIRVM *Episcopum*
Segouiensem .



ANT. AVGVSTINVS IO. GENESIO
SEPVLEDAE .S.



VMMAM illius quæstio-
nis de bello Indico, quæ a te
in libro de iustis belli causis
pluribus uerbis perdocte
perq; eleganter disputatur,
cū optimo antistite Philippo
Archinto Pontificis Maxi-
mi Vicario, & cum reli-
giosiss. Viro Eegidio Foscarario Sacri Palatij Magis-
tro, atq; alys grauissimis & doctissimis theologis ac
iure cōsultis cōmunicauī, sic enim mihi per litteras mā-
daueras. Omnes singularē in omni genere litterarum
eruditionem & acre ingenium tuum semper admirari
sumus, atq; coluimus. Hæc etiam nobis quæstio digna
uisa est, quæ in omniū hominum theatro tractaretur.
Res enim maxima est, & ad plurimos homines nostræ
natiōis ac gētis pertinet, neq; est a republica Christia-
na aliena. Itaq; libellum ipsum pluribus exemplis de-
scribi ediq; permisimus, te fortasse nō inuito. qui quāuis
hæc non eo animo scripseris, ut in uulgus manarent,
tamen comprimi ea abste & abscondi oportuerat; si nō
te digna euolutura fuisse putaueras. Tu nos ama, &
vale. ROMA Kal. April.

14896 (2)
Q. 1468150x

APŌLOGIA IOANNIS GENESII
SEPVLVEDAE PRO LIBRO DE
IUSTIS BELLICAVSIS

AD amplissimum, & doctissimum præsulem .D.

ANTONIUM RAMIRVM

Episcopum Segouiensem.



COMMENTATIONEM tuam
Præsul amplissime, quam de
bello barbarico aduersus meū
de iustis belli causis libellum
elucubrasti, & mihi misisti
cordubæ acceptam non sine
quadā cōsiliij tui demiratiōe
perlegi. Mirabar enim,
quæ te causa impulisset, vt elucubrato libello meā hu-
ius generis sententiam, oppugnare animum induceres,
hominis primū tui, tuarumq; virtutum, & dignitatis
studiosi, & cupidi, deindæ publicam, & honestissimam,
nostræ nationis & principis, cui tu plurima debes, cau-
sā aduersus quorūdam pertinatiā apertissimis, & gra-
uissimis diuinarum scripturarum, & sacrorū doctōrū
testimonijs, & firmissimo rationū præsidio, & eccles-
siæ auctoritate defendētis. Nam te virum prudētem &
antiſtitem grauissimum ambitioni seruisse, vt ingenium
tam alieno loco, & doctrinā ostētares adduci nō pote-
ram. Præsertim cū parum, aut nihil de tuo afferas, sed
pleraq; omnia aliena, nec satis tua singulari eruditione
digna, & ab his sūpta, qui calumnijs, & strophis, parū

vel prudenter, uel modeſte, ne quid grauius dicā, in mea ſententia honeſtiſſimam. R. Publicæ, ac Regum noſtro- rum cauſam oppugnant. Sed cum omnia ſollicito animo & uaga cogitatione perluſtraſſem, in eam potiſſimum opinionē adductus ſum, ut te uirum optimum, & per- humanum, nihil aliud ſecutū fuiſſe, quā offitiū exiſti- marē, & libello, quo rationum, quibus maxime nitun- tur aduerſarij, momenta complexus es conficiendo, ad- meq; mittēdo, id egiſſe, ut uel me errantem, & rationi- bus cedētem, in uia reduceres, aut ſi perſiſterē in ſen- tentia, quomodo obieſta diluerē, me reſpondente planius intelligeres. Faciā igitur quod tacitus iubes, immo uero plusq̄ iubes, proponam enim non tua ſolum argumenta ſed etiā omnia, quæ mihi uel cōpluti, uel Salamanticæ fuerunt obieſta, & interieſtis more ſcholaſtico mearū rationum fundamentis, & confirmationibus, ad ſingula reſpondebo, refellamq; calumnias non tuas (nouī enim animi tui candorem, ac ſimplicitatem) ſed quorūdā, am- bitione, aut etiam grauioribus animi morbis laborantiū hominum, quos certum habeo, omni ope elaboraſſe, quo te, ut multos alios eiſdem præſtigijs ludificarentur. Sed primum omnium deponenda tibi eſt falſa perſuaſio, ſi forte putas Salmanticēſe aut Complutenſem academiā cōtra meū libellū iudicaſſe, non enim vniuerſitatis illud iudiciū fuit ſed paucorū corruptorū hominū artificiū, non cōmunis ſententia, ſed duorum aut trium utrobq; præſtigie quorū cæteri auctoritatem propter doctrinæ maiorem opinionem ſuo iudicio prætulerūt. Sic igitur diſputationem ordiris. Quæſtio eſt, inquis, an liceat bello

Indos prosequi auferendo ab eis dominia, possessionesq; ,
& bona temporalia, & occidendo eos si resistentiam ap-
posuerint, ut sic spoliati, & subiecti facilius per prædi-
catores suadeatur eis fides. Quæstionem autem, ut de mea
sententia differatur, ad hunc modum proponere quid ali-
ud est, quàm in limine ut aiunt offendere? & ipso statim
disputationis principio artes eorum prodere, unde ista
sumpsisti? Qui cæterarum machinationum, quibus meum
librum oppugnant, infirmitati diffidentes præsidium pe-
tunt a falsis criminibus, & quas iniurias, & impia la-
trocinia acerrime meus libellus infectatur, harum me
patrocinium suscepisse mentiuntur, ut mihi faciãt in-
uidiam, sibi uerò concilient fauorem popularem, nisi for-
te meum librum uel non legerunt, uel lectum propter
characteris paulo cultioris insolentiam non intellexerunt.
Quod multis accidisse sibi ex his, quorum suffragio res
permissa est, ut scias ipsum a plerisque indicta causa fuisse
damnatum, iure diuino & naturali repugnante. Ego igitur
ne te mea sententia, de qua quærendum est lateat, hos
barbaros non possessionibus & facultatibus spoliandos
esse dico, nec in seruitutem redigendos, sed Christianorum
imperio subijciendos, ne fidem, aut eius propagationem
impediãt, prædicatoribus obsistendo, & deum per idolo-
latrariam blasphemando, & ob alias ipsorum utilitates.
Aliter igitur quæstio proponenda est in hunc modum.
Quæritur, utrum barbari, quos Indos uocamus Christiano-
rum Hispanorum imperio iure subijciantur, ut bar-
baris moribus, & cultu idolorum ac impijs ritibus su-
blatis ad accipiendam Christianam religionem ipsorum

animi præparētur, qui negāt his rationibus ducūtur.

Primū ita differunt bellum, quo isti barbari in Christianorum ditionem rediguntur non est iustum, non igitur iure debellantur. Illud probatur: iusta bella definiri solent (vt inquit Augustinus .23. q. 2. c. dominus) quæ ulciscūtur iniurias, isti autē barbari nulla iniuria Christianos affecerūt, nō igitur iure his bellū infertur.

Secundo, bellum, quod ad tradendā religionem pertinet nō potest esse iustum, religionis igitur prætextu bellum barbaris iuste inferri non potest, Namq; ad fidem neminem esse cogendum testis est Augustinus in epistola Petiliani, & habetur .23. q. 5. ad fidem, & concilij Toletani. 4. decretum est ad credēdum nemini esse vim faciendam, de quo est in c. de iudæis. disti. 45. & . c. maiores de bapt. & eius effectu. Idem testatur Grego. in æpistola ad Pascas. de qua est in eadem dist. c. qui Syncera.

Tertio hoc bellum fit cōtra Christi & apostolorū exēplum qui persuasionibus tantū, nulla omnino vi adhibita religionem tradiderunt, nō igitur iuste infertur. Cū omnis Christi actio debeat esse nostra instructio auctore Paulo Rom. 15.

Quarto finis huic bello propositus .s. barbarorum conuersio ad fidem, alia ratione, & sine armis commodius obtineri posset. s. per Euāgely prædicationē missis Apostolis, seu prædicatoribus, ut in primitiua Ecclesia factū est, nō igitur est bellum inferēdū. Nam bellum necessitatis esse debet, id est cū nulla alia ratione belli finē pacēq; cōsequi datur vt testatur Augustin .23. q. 1. c. noli

Quinto. Nulli genti bellum est inferendum, nisi antecedente monitione, & cognita pertinacia, nam obtemperantibus iniustissime uis adhibetur. Quauis igitur idolorum cultum deponere, & prædicatores admittere nolentibus, iure possit bellum inferri, prius tamen ut hæc facerent, essent admonendi, ut non aliter, quàm sprete admonitione pertinacibus bellum inferretur. Hoc autem nunquam factum est ab Hispanis in hoc bello, nunquam igitur iuste hoc bellum intulerunt.

Sexto, fieri non potest, aut certe difficillimum est, ut bellum hoc sine peccatis, multisque malis geratur, ut res ipsa docuit, nunquam enim gestum est sine iniuria & maleficio magnisque incommodis, & iacturis barbarorum. Non est igitur gerendum ne spe quidem boni quamlibet magni, quod euenturum esse uideatur, non enim facienda mala sunt, ut eueniant bona auctore Paulo ad Ro. c. 3. Septimo, Non est iuris, aut potestatis Ecclesie siue Pontificis de infidelibus iudicare, Papa ergo nec per se, nec per alium potest infideles ad cuiuspiam legis obseruationem compellere. Non enim fuit talis potestas Apostolis concessa, ut Paulus testatur. I. cor. 5. dicens quid enim pertinet ad me de ijs qui foris sunt iudicare, ergo nec Ecclesie.

Contra hæc faciunt sanctorum patrum apertissima testimonia & Ecclesie decretum factum, atque declaratio.

Respondetur. optimo iure isti barbari a Christianis inditionem rediguntur.

Primum, quia sunt, aut erant certe, antequam in Christianorum ditionem uenirent, omnes moribus, plerisque etiam

natura barbari, sine litteris, sine prudentia, & multis barbaricis uitijs cōtaminati, ut testatur historia generalis de ipsis scripta, & auctoritate Indici consilij probata lib. 3. c. 6. Barbari enim, ut ait Thomas, posit. primo lectione prima simpliciter nominantur, qui ratione deficiunt, uel propter regionem cœli, ex qua hebetes magna ex parte inueniuntur, uel propter aliquam malam consuetudinem, qua homines fiunt quasi brutales, huiusmodi autē gentes, iure naturæ, debent humanioribus, prudentioribus, & præstantioribus parere, ut melioribus moribus & institutis gubernentur, sed si admoniti imperiū recusent, possunt armis cogi & id bellum erit iustum iure naturæ, ut auctor est Aristo. primo Politicorum. c. 3. & 5. & Thomas ibidem, quo factum est, ut imperium Romanorum in alias gentes fuerit iustum & uoluntate dei questum, ut testatur Augustinus lib. 5. de ciuitate dei. c. 12. & deinde Romanis, inquit, concessit deus maximum & illustrissimū imperium ad domandum graua mala multarum gentium, qui Romani propter gloriam multa uitia comprimebant. i. uirtutes colebant. Ergo eadem potioreq; ratione Hispani possunt Indos in suam dittonem redigere. Hoc idē asserit sanctus Thomas de Reg. prin. lib. 3. c. 4. & deinde allegans Augustin.

Secundo isti barbari implicati erāt grauissimis peccatis contra legem naturæ, cuius ignoratio, nemini suffragatur, propter quæ deus deleuit gentes peccatrices, quæ terram promissionis incolebant, cuncti. n. idolorum cultores erāt & pleriq; omnes immolabāt uictimas huma-

nas. Nam quod deus nō occulto iudicio, sed propter huiusmodi idololatriam deleuerit eas gētes, testatur scriptura diuina non obscure sed uerbis apertissimis. Sic enim scriptum est in deut. c. 9. ne dicas, cum deleuerit eos dominus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me deus, ut possiderem terrā hāc, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes, & c. 12. omnes abominationes, quas auersatur dominus fecerūt dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni & c. 18. explicans scriptura impietates propter quas deletæ sunt gētes: sic ait. Quando ingressus fueris terram, quam dominus deus tuus dabit tibi, caue ne imitari uelis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filiū suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atq; auguria, nec sit maleficus, nec incātator, nec qui Pythones consulat, nec diuinus & quærat a mortuis ueritatem, omnia enim hæc abominatur dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Quibus testimonijs aperte declaratur has gentes propter idolorum cultum, fuisse deletas. omnia enim peccata, quæ hic memorantur Theologorum consensu ad idolorum cultum referuntur, aut impiam superstitionem. Idem prope traditum est leuit. 18. & 20. & ps. 105. Item ob eadē peccata populum Israeliticum magna ex parte fuisse deletum, & in seruitutem & captiuitatem abstractum, testatum est eodem psalmo. Cōmixti sunt, inquit, inter gentes, & didicerunt opera eorum, immos lauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & iratus

est furore dominus in populum suum, & tradidit eos
in manus gentium. Adiuuat quod est sapientiæ. 12. &
exod. 32. quibus rebus declaratur eis peccatis lex na-
turæ uiolari, cū ob eadē, utriq; fideles & infideles pu-
niti fuerint. Quare eisdem de rebus memorans Cypria-
nus in exhortatione ad martyrium addit, q̄ si ante aduē-
tum Christi circa deum colendum, & idola spernenda
hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentū
Christi seruanda, quæ uerba habentur. 23. q. 5. c.
si audieris. Cui plane astipulatur Ambrosius ut est
23. q. 5. c. remittuntur. His testimonijs cum idolo-
rum cultus modo per se, modo accedentibus humanarū
uictimarum sacrificijs, causa iusti belli ac internicionis
fuisse memoretur, aperte declaratur idololatria per se
satis magnā & iustā causam præbere fidelibus ad bel-
lū idololatriæ inferendum, ut Nicolao Lyrae uisum est.
Numerorū. c. 31. illud præcipue ex Deut. 12. citati,
subuertite omnia loca in quibus gentes, quas possessurū
estis, coluerunt deos suos. Quod etiam Diui Thomæ do-
ctrina, & testimonio cōprobatur, qui cum secunda secu-
de. q. 10. ar. 8. scripsisset, infideles posse bello a fide-
libus compelli, non ut credant sed ut fidem non impediāt,
blasphemijs, uel malis persuasionibus, aut persecutioni-
bus post hæc. q. 94. ar. 3. idololatria magnam blasphe-
miam contineri, & opere fidem impugnari testatur.
Quam doctrinam secutus Lyra, quo loco diximus, una
inquit iusti belli causa est, contra terram, in qua deus
per idololatriā blasphematur, itaq; Augustinus in Epi-
stola. 50. quæ est ad Bonif. docēs pios reges seruire deo

idolorum cultum oppugnando sic (inquit) Ezechias ser-
uivit domino lucos & tēpla idolorum, & excelsa quæ
contra præceptum dei fuerant constructa destruēdo. 4.
Reg. . 18 . & Iosias eadem faciendo. 4. Reg. 23. sicut
Rex Niniuitarum ad placandum dominum vniuersam
ciuitatem compellēdo . Ios. 3 . sicut seruiuit Darius idoz
lum frāgendum in potestātē Danieli dando Daniel. 14
sicut seruiuit Nabuchodonosor &c. Nā quod Caietas
nus infideles negat iure posse a christianis ob infidelita-
tem, debellari, intelligendum est ob solam infidelitatem,
puniendi gratia, non autem si fuerint simul idolorum
cultores, aut alia ratione non seruent legem naturæ.
Item alia ratione probatur concessum esse Christianis
bello persequi idolorum cultores auctoritate publica; &
pontificia. Christo enim secundum humanitatem data
est omnis potestas in caelo & in terra. Vt est Mathæi
ultimo. hanc autem potestatem Christus Petro vicario
suo & successoribus cōmunicauit, ut docet Thomas de
Reg. Prin. lib. 3. c. 10. & . 12. quæ potestas & si proz
prie uersatur in ijs quæ pertinet ad salutem animæ &
bonis spiritualibus tamen a temporalibus quatenus or-
dinatur ad spiritualia non excluditur. ut est in eodem
libro .c. 13. Habet igitur Papa potestatem ubiq; gen-
tium, non solum ad prædicandum euangelium, sed etiā
ut gentes si facultas adsit cogat, legem naturæ, cui om-
nes homines subiecti sunt, seruare. vt Innoc. & Hostiē
grauissimi Auctores tradiderunt, in .c. quod super his de
uoto quibus Ioan. Andreas & Panor. suffragantur.
Nā Christus qui sic præcepit. Apostolis Mathæi ultimo

docete omnes gētes, quæcūq; mādauī uobis. Idē naturæ
leges, quæ decalogo, & dilectione proximi continetur,
in primis seruari iussit. Vt autem infideles euangelicā
prædicationē audire & legem naturæ seruare cogantur
neceffe est ut Christianorum imperio subijciantur,
causaliter igitur ut utar uerbo pōtificio hoc quoq; per-
tinet ad potestātē Papæ q̄ magnopere dirigitur ad spi-
ritalia quæ sunt eiusdem potestatis .c. per uenerabilem
S. rationib. qui filij sint legit. Qui autē idola colunt ij
maximo uiolant legem naturæ. Iure igitur Idololatræ
bello possunt a Christianis coerceri, ut ipsorum imperio
subiecti ex lege naturæ uiuere cogantur, neue per idolo-
rum cultum ab ipsis deus blasphemetur, & offendatur.
Legem autem naturæ ab idolorum cultoribus minime
seruari dubitari non poterit, si legem naturæ ab aliqua
gente non seruari, quid sit intelligatur. Quāuisq; enim
omnia peccata mortalia sint contra legem naturæ, ut
esse docet Augustinus contra Faustum lib. 22. nō ta-
men si qua in gente peccata mortalia patrantur, protiz-
nus hi dicendi sunt legem naturæ non seruare, ut, iunio-
res quidam theologi falso putarunt. Nam eo quidem mo-
do nusq; gentium lex naturæ seruaretur. Causa enim
publica publicis moribus & institutis diiudicanda est,
ut docet Aristoteles Politic. 3. non singulorum recte, aut
perperam factis. Sed ea demum gens legem naturæ non
seruare intelligenda est, apud quam peccatum aliquod
mortale in rebus turpibus nō habetur, sed publice pro-
batur, ut apud hos barbaros homicidium innocentium,
qui multis in regionibus immolabantur, & ubiq; apud

eosdē idololatria, quod est peccatorū grauissimū. Quibus
rationibus planē intelligitur nō peculiari dei uoluntas
te & occulto iudicio, sed comuni lege naturæ, propter
memorata flagitia, quæ pertinent omnia ad idolorum
cultum, illas gētes fuisse deletas. Itaq; his diuinæ histo-
riæ & sacrorū doctorū testimonijs colligitur hos bar-
baros propter suas impietates, si iure summo agendum
esset, potuisse, & vita, & terris ac bonis omnibus mul-
tari ad iustam punitionem, quanto igitur magis iure
possunt Christianorū imperio subijci, nō ut talia patiā-
tur (nā possessionibus eos aut libertate priuare uetitū
est lege Regum Hispanorum) sed ut Christianorum
imperio subiecti a talibus flagitijs, quibus maxime deus
offenditur abstinere cogātur, & meliorum rerum cō-
suetudine & piorum commercio ad ueri dei cultum &
religionem accipiendam præparentur. Huc quoq; perti-
net, q̄ est Deut. 20. si quando, inquit, accesseris ad ex-
pugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem si rece-
perit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in
ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. sin autem
&c. deinde sic (inquit) facies cunctis ciuitatibus, quæ
a te procul ualde sunt. 1. quæ sunt diuersæ religionis,
ut glossa interlinearis exponit, quod in idololatrias maxi-
me conuenit itaq; idolorum cultores designat, quamuis
eorū iniquitates nō essent completæ ut Amorrhæorum,
ut melioribus & pijs hominibus parētes ad ueri dei cul-
tum ipsorum uel doctrina, uel exemplo dirigerentur.
Tertio, innocentes homines, ne indigna morte truciden-
tur, seruare omnes homines iubentur lege diuina &

naturali, si facere id possint, sine magno suo incōmodo.
Cum igitur isti barbari singulis annis multa innocētū
hominum millia ad impias dæmoniorum aras mactarēt
(constat enim in sola noua Hispania singulis annis, am-
plius uiginti millia immolari solita) idq; prohiberi hac
una ratione posset, si proborum, & a talibus, & tam
in manibus flagitijs abhorrentium hominum, quales sūt
Hispani, imperio subijcerētur. Quis dubitet, uel hac una
ratione, iustissime barbaros potuisse & posse a Christia-
nis in ditionem redigi.

Quarto, homines periculosissime errantes, & ad suam
certam perniciem contendentes, seu ignorantes id, seu
scientes faciant, reuocare atq; etiam inuitos ad salutem
retrahere, iuris est diuini & naturalis, & officiū quod
sibi etiam inuitis præstari omnes homines sanæ mentis
uellent. Omnes autem homines qui extra Christianam
religionem uagantur æterna morte perire, si quis dubi-
tat, non est Christianus. Iure igitur barbari salutis suæ
causa ad iustitiam compelluntur. Hoc autem officiū
dupliciter præstari potest, uno modo per doctrinā tan-
tum & exhortationem, altero uero quadam adhibita, &
pœnarum metu, non ut credere cogantur, sed ut tollan-
tur impedimenta, quæ obesse possent fidei prædicationi,
& propagationi. Priore modo usus est Christus, &
Apostoli, secundo usa est Ecclesia postq̄ Regum &
Principum Christianorum potētia, & præsidio munis-
ta est, & utrunq; factum, ut docet August. diuino &
euangelico præcepto, quod conuiuij similitudine cōtine-
tur Lucæ. 14. Nam, cū primi inuitati uenire noluerint,

Secundi permonitu & doctrina fuerint ad epulas diuinas introducti, Postremi, ut intrent compelli iubentur. Qua de re Augustinus Epistola ultima & habetur .c. ①
displicet. 23. q. 4. cum ipsi primorum temporum ratio ab hæretico Donato obyceretur, Non attendis, inquit quod tunc Ecclesia nouo germine pullulabat, nondum cōpleta fuerat illa propheta, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gētes seruient ei. Quod utiq; quāto magis impletur, tanto maiore Ecclesia utitur potestate, ut non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum, ad cuius confirmationem subijcit Parabolam Euangelicam, de qua dixi. Nam quod est in concilio Toletano, & .c. maiores de bapt. & eius effectu neminē ad credēdum cogi debere, plāum & apertum habet intellectu, neminē nec ui, aut bello, nec minis cōpellēdum esse ut Christianus fiat, baptismumq; suscipiat inuitus. Cuius ratio est, quoniā ea uis esset innutilis, nemo enim uoluntate, quæ cogi non potest repugnante, potest effici fidelis. Itaq; doctrina & persuasionibus utendum est. Cæterum, ut quisq; deponat omnia impedimenta ut superbiam licentiamq; peccandi, quæ obesse possent tradendæ doctrinæ, minis, & pœnarū metu iustissime cogitur auctoribus August. Amb. & Gregorio nā quod est in concilio Toletano. idē August. qui uim probat, multo ante dixerat ad fidem, inquit, nemo cogēdus est, ut dicitis. alloquitur autē hæreticum Petilianum. 23. q. 5. ad fidem, sed uos imperatoria lege non benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit quod est in libera uoluntate. Cū

aliquid ergo aduersus uos leges constituunt, admoneri uos credite, ut cogitetis, quare ista patiamini. At idem in Epistola ad Vincēti. ut habetur. 23. q. 6. c. uides sic scribit. Vides inquit non esse considerandū quod quisq̄ cogitur sed quale sit illud ad quod cogitur, utrum bonū an malum, non quod quisq̄ bonus possit esse inuitus, sed timendo quod non uult pati, uel reliquit impedientem animositatem, uel ignoratā compellitur agnoscere ueritatem, ut timens uel respuat falsum, de quo cōtendebat, uel quærat uerum, quod nesciebat, ut uolēs iam teneat, quod nolebat. Nū licet cōtra hæreticos hæc disse- rat Augusti tamen rationes ipsius contra paganos si- militer ualere idem ipse August. docet in eadem episto- la ad Vinc. ubi de legibus contra utrosq; latis memorat declarās, neutris uim factā fuisse a Christo, uel Apos- tolis, postea uerò utrisq; illatam ab æcclesia potētia & legibus imperatorum Christianorum munita, ut habe- tur. 23. q. 4. c. nō inuenitur, in qua epistola docet eis- dem rationibus iustam esse legē latam, aduersus sacri- ficia paganorum, & ab omnibus Christianis laudatam quæ habetur in .c. de paganis & eorum sacrificijs .l. i. ibi enim constituta est pæna capitalis & bonorum pub- blicatio. si quis āplius sacris & ritibus paganis ute- retur quam legem primum a Constantino ut Eusebius in historia ecclesiastica & Hieroni. in chronicis testā- tur latam, & post a Constantio filio & alijs impera- toribus confirmatam ut piam & iustissimā pugnacissi- me deffendit Ambro. apud Imperatorem Valentinianū epistolis. 30. & 31. Gregorius autē in epistola ad

Aldibertum

Aldibertum Britanorum Regem, que sūt nom. lib. 60.
hæc de rebus eisdem tradit. Sic enim Cōstantinus quōs-
dam piſſimus Imperator Romanam Remp. a peruersis
idolorum cultoribus reuocans, omnipotenti deo Domi-
no nostro Iesu Christo secum subdidit & c. nec interest
subiecti sint Pagani imperio Christianorum an secus,
quibus uis saluifera est inferēda. Nam si sicutus Rex
hispaniæ, qui Iudæos ut Christiani fierint coegit, in sibi
subiectos uim intulit, tamen factum eius non perinde
probatum quia talis uis simpliciter, siue directe ad Chri-
stianismum compellens, inutilis habetur, quia uolunta-
tem cogere nequit, & pertinaciores facit. Prohibere
autē a malo, quod fit lege Cōstantini, quæ eadē est Cōs-
tātij magnum beneficium est, & quod, si absq; incom-
modo nostro possumus, omnibus hominibus, ut proximi-
mis impendere iubemur, lege diuina & naturali. Mā-
dauit deus unicuiq; de proximo suo. Hæc igitur est ra-
tio ex Euangelica parabola, & August. Ambrosij &
Gregorij doctrina, paganos ut ad Christi epulas intrēt
compellendi. Ut primum Christianorū imperio, si fieri
sine magno incommodo nostro possit, qui non sunt
subiecti, subiiciantur. Deinde ut lege Constantini con-
uenienter Idolorum cultu & omnibus Ethnicis ritibus
prohibeātur, tollanturq; omnia impedimēta, quæ obesse
possent euangelicæ prædicationi. Quibus rationibus, &
testimonijs edoētus diuus Thomas secunda. 2. q. 10.
ar. 11. Ritus infidelium præterq; Iudeorum negat esse
ullo modo tolerandos si facultas adsit, quanuis aliquā-
do, inquit, fuerint ab Ecclesia tolerati, cū. s. erat magna

infidelium multitudo. I. anteq̄ essent Principes Chris-
tiani, qui cogere possent. His autem rebus cōfectis, nul-
la præterea uis, nullus metus, quo Christiani fiant, est
adhibendus. Sed ita præparati doceri debent, & fidei præ-
dicationi, ut Christianismum uolentes suscipiāt, induci,
ut sapiētissimi ac sanctissimi Pontificis Gregorij decre-
to seu testimonio declaratur, quod habetur x. 23. q. 4. s. 2.
nō. quo in loco Gēnadium uirum optimum, & Chris-
tianissimum laudat & ab omnibus laudari testatur, q̄
gentes paganas haud dubie non subiectas in Christiano-
rum ditionem bello redigendas curaret, non ob aliam
Causam, nisi ut cum essent debellatæ facilius in Chris-
tianam religionem per liberam fidei prædicationē, in-
ducerētur. Nam Gennadium scribit ubiq; laudari, quod
bella frequenter appeteret, nō, inquit, desiderio fundēdi
sanguinis, sed tantū dilatandæ causa Rei p. in qua deū
coli conspiciamus, quatenus Christi nomen per subditas
gentes fidei prædicatione circumquaq; discurrat. Loqui-
tur autem non ut quidam somniarunt de Saracenis si-
ue Mahumetanis, qui eo tempore nulli dum erant, nec
ut alij, de Vandalis, qui iam fuerant a Bellisario deleti
nec ut alij de hæreticis, qui puniendi erant, nō debellā-
di, nec gentium alieno nomine uocandi, sed de gentibus
in Africa interiorē Romano Imperio finitimis, ut decla-
ratur in extremo eiusdem Epistolæ, quæ primi libri est
73. nec deniq; quod Christianos infestarent, ut falso
quidam causantur, hoc enim exclusum est a Gregorio
per uerbum tantum, sed ut a Christianis debellati fidei
prædicationem, & propagationem nō impedirent. Hoc

est enim quod Thomas ait secūda. 2. q. 10. ar. 8. frequenter, inquit, Christi fideles contra infideles bellum mouent, non quidem ut eos ad credendum cogant, sed ut compellant, ne fidem impediunt, explicās uidelicet causam cur Gennadius, pium bellum infidelibus frequēter inferret. Nam gētes, quæ non sunt Christianorum imperio subiectæ multifariam fidem eiusq; propagationē si quis eā inducere uelit impediunt. Primum quia publicam eius predicationē non admittunt, ut constat etiā auctore Thoma lib. 3. de Reg. prin. c. 16. nunq̄ ante Constantini tempus sine mortis periculo publice fidem prædicare licuisse. deinde quia prædicatores etiam occultos occidunt, & ne qui suorum cōuertātur obsistunt & cōuersos persuasionibus, aut etiam persecutionibus auertere conantur ut sæpe & a multis ante Cōstantini principatum factum est, & passim initio Ecclesiæ fiebat. Accedit quod infideles Christianis subiecti facilius adducuntur, ut nostros mores & religionē sequantur. Non igitur sola prædicatione & disputatione utendum est, nec in paganos, nec in hæreticos, ut in primitiua Ecclesia cum nullus principum crediderat, sed cum facultas adsit, uis utilis & permissa quemadmodum exposuimus, adhibenda. Hæc enim expeditissima ratio est gentes ad Christi fidem conuertendi, ut omni seculo res ipsa & exempla docuerunt. quæ exempla uim habent demonstrationis teste eodē August. in eadē ad Vincent. Epistola. Cuius uerba translata sunt. 23. q. 6. uides mea primitus inquit Sententia erat, neminē ad Christi & Ecclesiæ unitatem esse cogēdum, uerbis esse agēdū,

disputatione pugnandum, ratione uincendum. Sed hæc mea opinio non contradicentium uerbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primum opponebatur mihi, mea ciuitas, quæ cū tota fuisset in parte Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conuersa est. Quam nunc uidemus ita animositatis uestræ perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Et item aliæ multæ. Thomas quoque de Reg. prin. lib. 3. c. 16. quo anno, inquit, Cōstantinus conuersus est ad fidem, baptizata sunt circa partes Romanas plusquam cētū millia hominum. Quod euenire constat eodem modo in hac Indorum conuersione, qui cum fuerint in ditionem redacti, & impijs sacerorum ritibus prohibiti uix euangelica prædicatione audita, agminatim confluerunt baptismum postulantes, sic enim ferè hominū more ac natura comparatum est, ut uicti facile in mores uictorum & imperantium transeant, & facta, dictaque eorum libenter imitentur. Itaque hac ratione paucis diebus plures & tutius ad Christi fidem conuertuntur, quam fortasse trecentis annis, sola prædicatione conuerterentur. Fieri enim non potest, ut Philosophus ait, Ethicorum. 10. aut non facile fit, ut ea uerbis mutantur, & extrudantur, quæ impressa sunt moribus, temporeque diuturno retenta. Itaque ut opus esse ait, Vnde natæ sint leges, quæ uim cogentem habent. Cui naturali dogmati maxime cōuenit, August. Ambrosique doctrina, & Ecclesie atque Gregorij Sapientissimi Papæ decretum in memorato cap. Si nō. Quod solum per se potest omnem cōtrouersiam in hac causa cōuni lege rationeque dirimire.

Congruit Etiã Ioan. Scoti doctrina , qui maiorem etiã
uim in tradenda religione infidelibus & filijs infidelium
adhiberi cęset. 4. sententiarũ dist. 4. q. ultima & Ioã.
Maioris 4. sententiarũ dist. 44. q. 3. qui hanc in bar-
baros expeditionem nominatim probat.

Quas rationes atq; decreta secutus Alexãder Sex. Pa-
pa año Christi. 1493. Fernando & Isabellæ Regibus
nostris , ab eximia religione Catholicis cognominatis
oraculum & sententiã sedis Apostolicæ iuxta tradita
deut. 17. & . c . per uenerabilem , qui filij sint legiti-
mi. Sciscitantibus uolentibusq; , & suo iure petētibus
rescribens negotium dedit, & magnopere hortatus est,
ut hos barbaros imperio suo subijcerent , & ad Christi
fidem reducēdos curarent, his uerbis, quæ ex bulla plũ-
bata descripta sunt. unde omnibus diligenter , & pre-
sertim fidei catholice exaltatione & dilatatione pro ut
deceat catholicos Reges & principes consideratis more
progenitorum uestrorũ claræ memoriæ Regum terras
firmas & Insulas prædictas illarumq; incolas & ha-
bitatores , uobis diuina fauente clementia subijcere &
ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur
huiusmodi uestrum sanctum ac laudabile propositum,
plurimum in domino commendantes , ac cupientes, ut
illud ad debitum finem perducatur, hortamur uos quã-
plurimum in domino & per sacri lauacri susceptionē
qua mandatis Apostolicis obligati estis & uiscera mi-
sericordiæ domini nostri Iesu Christi attēte requirimus
ut cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi &
assumere prona mente orthodoxæ fidei Zelo intendatis.

populos in eiusmodi insulis & terris degētes ad Christianam religionē suscipiendam inducere uelitis & debeatis, nec pericula, nec labores ullo unq̄ tempore uos deterreant, firma spe, fiduciaq; cōceptis, quod deus omnipotens conatus uestros feliciter profectur. Hæc Alexander Pontifex. Cui & similibus decretis nō solum stare Christiani homines eo decreto iubentur, sed si quis non paruerit, aut contradixerit ipso iure per dictum Caput per uenerabilem excommunicatur, & alioquin Christi vicarium, ut in libro de dispensatione testatur Bernardus, tanq̄ ipsum Christum, in ijs quæ non sunt aperte contra deum audire debemus. Cuius decreta & rescripta in ijs, quæ fidem, aut mores attingunt, contemnere, hæreticum esse, magni Theologi tradiderunt. (vide Syluium in uerbo canonizatio) Quo igitur iure Christi vicarius potest gētes omnes ab idolorum cultu, si facultas adsit, prohibere, & ad prædicationem Euangelicam audiendam compellere. Eodē ualet ipsas imperio Christianorum per se, aut Principes Christianos subijcere. Cum hæc uia expeditissima sit & cōmodissima ad ea perficienda & salutē animarū cōparādā.

Cæterum quidam docti quidē homines, sed non perinde usu rerum periti oportere tradiderunt, ut anteq̄ bellum pararetur, missis legatis admonerentur barbari ut ab idolorum cultu desisterent, & Christianæ religionis predicatorum publice admitterent, ut si postulatis adquiescerent, ipsorum animarum salutem citra bellum cōsuleretur, sin autē hæc ab ipsis impetrari non possint, tunc iustis armis debellati imperata facere cōpellerentur.

quæ admonitio, fateor, si absq; magnis difficultatibus, et
utiliter fieri posset, non erat repudianda, nec omittenda
Est. n. similis ei, quam Christus fieri iubet in fraterna
correctione, priusq; ad denuntiationem procedatur.

Cæterum quemadmodum in fraterna correptione, inu-
tilis admonitio omittenda est Theologorum consensu,
& ad denuntiationem, si res præserim publica postu-
let, procedendum, sic est de huiusmodi admonitione in
hoc bello barbarico statuendum, ut omittatur omnino,
si prudenter existimantibus inutilis fore uideatur.

Nam debet, qui arat, arare, in spe fructus percipiendi
auctore Paulo i. cor. 9. & quod est inutile pro nullo
habetur, ut dederat caput inter corporalia de transla-
tione Episcopi. hanc autem admonitionem esse inutilem
in tali causa, ac ideo nunq; factam fuisse, multifariã
declaratur. Primũ quia est factu difficilis, & erat diffi-
cillima initio belli tot enim nationes tam barbaras, im-
menso Oceani & terrarum interuallo distantes, nullo
linguæ commercio adire & admonere, nec solum quid
responderent, sed etiã quid facerent expectare, res esset
tam difficilis, tanti sumptus, tam longi temporis, ut fa-
cile principes omnes Christianos a tali cõatu deterreret
Itaq; hanc admonitionẽ, ut necessariam inducere, nihil
aliud erat, q̄ expeditionẽ piã & barbaris salutiferã,
ac proinde ipsorum conuersionẽ, quæ finis belli est pe-
nitus impedire. Est igitur inutilis & proinde omittẽda
Nam quæ ordinantur ad finem, hæc rationem boni, ex
ordine ad finem sortiuntur, Quare quæ finẽ impediunt
non habent rationẽ boni. Vt Thomas, secunda. 2. q. 33

ar. 6. ad. 3. tradidit. Deinde hæc admonitio, & si su-
peratis difficultatibus fieret nihil tamen, aut parū pro-
ficerent, esset igitur inutilis & ommittenda. non .n.
est probabile, neq; uero simile gentē aliquam per solā
admonitionē & externæ nationis exhortationē adduci
posse, ut insitam & a maioribus acceptam religionem
relinquat. Nam ut est in epistola August. ad Vincen.
si docerentur infideles, & non terrerētur, uetustate cō-
suetudinis obdurati ad capeffendā uiam salutis, pigrius
mouerentur. Si quis autem dicat non uerbis solum ad-
monendos esse barbaros sed etiam metu admoti exerci-
tus terrendos, ut metu saltem imperata faciant, iā hoc
esset difficultatē admonitionis plurimum augere, &
uim facere, propter quam uitandam ipsi admonitionem
inducunt, quæ uis si faciendā est, nō est ommittenda uti-
lissima, quæ imperium Christianorum accipere cogat.
Præterea quamuis barbari metu impulsī prædicatores
admitterent, & cultum idolorum ad tempus deponerēt
uel potius deponere simularent, tamen non dubium est
quin timore sublato essent ad pristinos mores reuersuri
& prædicatores eiecturi, aut ipsos etiā & ab ipsis cō-
uersos nisi ad pristinam impietatem redirent occisuri
ut initio nascentis æcclesiæ fiebat. Quæ omnia incom-
moda & difficultates debellatis barbaris facillime tollū-
tur, & sic plus uno mense in ipsorum cōuersione pro-
ficatur, quam centum annis per solam prædicationem,
non pacatis barbaris proficeretur. Non enim, arbitror,
nostri tēporis prædicatores sine miraculis plus effice-
rent, quam quondam Apostoli, domino cooperante &

sermonem confirmante sequentibus signis. Quæ signa
iam non sunt a deo postulanda, cum nobis liceat præ-
ceptum eius sequentes prudēti consilio barbaros ad cō-
uiuuium euangelicum, qua diximus ratione compellere.
Accedit quod barbarorum subiectio causa est magni
Christianorum concursus quorum illi commertio, &
consuetudine facilius conuertuntur, & conuersi com-
modius edocentur, constantius in accepta fide persistunt
nec in hæreses labi permittuntur, & facilius barbariē
exuunt, humanioribus & Christianis moribus induū-
tur. Cum igitur duæ viæ sint, quibus ad barbarorū cō-
uersionem procedi posse uideatur, altera per monitionē
solum, doctrinamq; & prædicationem, difficilis, longa,
& multis periculis, & laboribus impedita, altera per
subiectionem barbarorum, facilis, breuis, & cū mul-
tis barbarorum cōmoditatibus expedita, ultra progres-
diendum sit, non est prudentis hominis dubitare, præfer-
tim cum August. auctorem habeamus, qui expeditiore,
progrediendū esse, aperte uerbis illis, quæ ex Paulo ante
citauimus declarat. Si docerentur, inquit, & non terrez-
rentur uetustate consuetudinis obdurati ad capeffendā
uiam salutis pigrius mouerentur, quibus plane docet
August. non doctrina modo agendum esse, sed uim etiā
salutiferam, quæ uiam doctrinæ muniat adhibendam.
His rebus explicatis superest, ut ad obiecta respondeas-
mus.

Ad primum igitur respondeo. bello quod idololatriæ in-
fertur, non tam hominū quam dei iniurias, quæ multo
grauiores sunt, uindicari, & alioquin iniuriam infert

postulanti, qui iusta postulata non facit, & qui parere alteri debet, is si admonitus imperium recusset, iniuriosus est, ut appareat hoc bello, humanas quoque non solum diuinas iniurias uindicare, nam nec iniustum bellum inferre, nec iustum illatum, si rite fuerit indictum propulsare licet, sine iniuria, non enim solum, contumeliam inferre, sed ut cunque iniuste in quemque facere iniuria est. Ad secundum, fateor, neminem esse ad fidem cogendum, ut inuitus credat, inuitus baptizetur, ut poenis, aut metu Christianus fieri compellatur, quae summa est decretorum & testimoniorum obiectorum. Effet enim ius inutile, & irrita opera, nam credere uoluntatis est, quae cogi non potest. Idolorum autem cultores Christianorum imperio subicere, ut impijs ritibus abstinere, & legem naturae seruare euangelicos praedicatores sublatis impedimentis audire cogantur, iustum est ac pium, & ab ecclesia comprobatum & factum eorundem sacrorum Doctorum testimonio August. 23. q. 4. c. non inuenitur Gregor. in Epistola ad Aldibertum, quae est lib. 9. Sexagesima.

Ad tertium Christi facta, siue actiones, si possumus imitari fas est & pium, sed ita, nisi Christus aliter statuat. quamque igitur Christus nullum, nec paganum, nec haereticum ad aepulas euangelicas, hoc est ad fidem compulset, nec ipse, nec Apostoli, idem tamen, cum Regum ac principum Christianorum facultas esset, ut utrosque, quae ratione diximus, compelleremus, praecipit in euangelica parabola. ut August. Amb. Gregoriusque exponunt, & ita factum est ab ecclesia tempore Constantini, ite

Gennadij, cuius bella Grego. maxime laudat, ut supra memorauimus. Hanc tertiam obiectionē accuratissime confutat August. in Epistola. 50. quæ est ad Bonifatiū Non considerant, inquit, aliud tunc fuisse tempus & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christū crediderat Imperatorum &c. Quod ergo quidā cauillantur euangelicam illam compulsionem, ad exemplorum & miraculorum uim esse referendam, cōmentitiū est, & stropa hæreticorum ab August. in eadem ad Bonifacium æpistola confutata.

Ad quartum nego cōmodius barbaros per solam prædicationem ad fidem induci, q̄ si prius fuerint debellati, quin potius nisi debellantur, multæ & magnæ difficultates obsunt prædicationi, & cōuersioni, de quibus supra diximus. Quæ omnia impedimenta tolluntur, si prius gentes fuerint in Christianorum ditionem redactæ. Itaq; bellum est necessarium ad prædicationem & conuersionem, non quidem simpliciter, sed quia recte, hoc est sine magnis difficultatibus, res fieri non potest, nisi gentibus debellatis. Nam cum necessarium quinque modis dicatur auctore Aristot. Metaphysicorum quinto vno modo necessarium id esse intelligitur, sine quo res, aut omnino, aut recte fieri non potest. Bellum igitur necessarium est, nisi forte barbari uoluntate, & sine armis inditionem redigerentur. Nam uia prædicationis sine ulla uiloga est, & multis difficultatibus impedita. Ad quintum. duplex hoc in bello intelligi potest admonitio, vna qua pax offertur, si fecerint imperata, ut præcipitur. Deute. c. 20. bis uerbis. Si quādo accesseris

ad expugnandum ciuitatem, offeres ei primum pacem, si receperit, & aperuerit portas cunctus Populus qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Quæ admonitio non in hoc solum, sed in omni bello iuste inferendo necessaria est, si forte ratione, aut denuntiatione periculi, sine sanguine hostes ad deditionem compellere & quod petimus assequi detur. Alia esset admonitio, de qua supra memorauimus, & quam inutilem fore, ac proinde omissam, & omittendam esse demonstrauimus. Ad sextum respondeo, istam rationem, nihil magis contra hoc bellum facere, quam contra cætera, quacunque ratione fuerint illata, uix enim unquam bellum gestum est sine magnis incommoditatibus, & iacturis, sine aliqua iniuria & maleficio. Cæterum non si difficile est bellum et ex causa iusta gerentem, iniurias & maleficia cauere protinus, est impossibile, nec principi, cuius iusta, uel iniusta causa, bellum iustum facit, aut uicissim iniustum assignanda sunt crimina a militibus præter eius uoluntatem admissa, nec ea ex causa iusta, iniustam faciunt siue damnandam. Quod si pericula etiam & peccandi occasiones Christianis legibus uitare iubemur, non tamen cum maius alterum malum uitare eodem tempore necessitas adhortatur, aut si aliorsum uocet publica & magna commoditas. Nam licet nemo possit in eas angustias compelli, ut peccare sit illi necesse, si tamen duo præcepta simul urgeant, quæ simul adimpleri nequeunt, qui grauiori paret, altero prætermisso non peccat. Ut concilij Toletani decreto, & Gregorij testimonio docemur dist. 13. c. duo mala & c. nerui, & Gersonis

regula morali & Aristot. doctrina Ethi. tertio quæ ratio in bellis potissimum est ineunda, ut docet idem Ioan. Gerson Auctor grauiissimus ibidem, Sic enim differit. c. de auaritia in bellis faciendis, quæ malis in numeris plena sunt, Nunc ad istos innocentes, nunc ad illos sola utilitas Rei p. excusat a mortali, aut euitatio damni publici, notabiliter peioris, quam sit damnum priuatum ex bello proueniens. Ex hoc igitur præcepto si mala & bona, quæ hoc bellum barbaris importat, ad calculos reuocemus, haud dubie mala bonorū multitudine & grauitate prorsus obruantur. Summa enim malorum est, quod principes mutare coguntur, nec eos omnes, sed quos oportere uisum est, & bonis mobilibus magna ex parte priuantur, auro. s. & argento, quæ metalla apud ipsos in paruo pretio erant, quippe qui, nec aureis, nec argenteis nummis utebantur, & pro his ab Hispanis ferri metallum, quod ad uitæ plurimos usus longe commodius est, accipiunt, præterea triticum, hordeum, legumina, frugiferarū arborum, & oleorum multa genera, equos, mulas, asinos, oues, boues, capras, & alia multa barbaris nunquam uisa, quæ hinc allata felicissime proueniunt in illis regionibus. Quarum rerum singularum commoditate, utilitas, quam barbari ex auro & argento accipiebant, longe superatur. Adde nunc literas, quarum barbari funditus erant expertes legendi, & scribendi prorsus ignari, adde humanitatem, optimas leges, & instituta, & quæ sola uincit omnes omnium cæterarum rerum commoditates,

veri dei cognitionem, & religionem Christianam, quibus rebus cognitis, & animaduersis, qui hanc expeditionem impedire conantur, ne barbari ueniāt in Christianorum ditionem, hos ego nō barbaris humane fauere ut ipsi uideri uolunt, sed eisdem plurima & maxima bona crudeliter inuidere cōtendam. Quæ bona ingnaua & importuna ipsorum sententia, uel tolluntur omnino uel plurimum retardantur. Neq; tamen negauerim posse tempus incidere, cum sit a subiectione barbarorū licet cogēdi facultas adsit, temperandū, ut si quis Princeps cum sua ciuitate aut gente, non metu, & simulatione, sed sua sponte bona fide spiritu dei afflatus, magistrōs Christianæ religiōis a nostris postularet, si quoue alio casu reēta ratio in maxima rerum humanarum uarietate, quam vna regula metiri non possumus, barbarorum saluti aliter consulere adhortaretur, legibus enim atq; præceptis, quid in quoq; genere magna ex parte fieri oporteat constituitur. Cætera quæ extra ordinē accidunt, iustorum Principum & proborū virorū qui rebus gerendis præfuerint prudentiæ. Prout ratio boni publici postulabit administranda relinquūtur. **Ve Philosoph. Polit. 3. & ethic. lib. 5. declarat.**

Ad septimum, quod Paulus ad se pertinere negat, de eis qui foris sunt iudicare, hunc habet intellectum, non esse muneris Apostolici, ut a Christianis, sic ab eis qui extra fidem sunt, vitæ rationē poscere, & ut Christiane uiuant postulare. Cæterum dare operam, ut iidem ad Christi fidē conuertantur, ac eis euangelium prædicare & omnia quæ ad hoc commode præstandum conducūt

pro facultate conari proprium esse muneris Apostolicū
non solum eiusdem Pauli. Sed omnis omnium Aposto-
lorum uita & ob id oppetita mors testificatur.

Quod uero pertinet ad æditionem libri, in quo belli fas-
ciendi, Iustitia & ratio, & quod iure, quid iniuria fiat,
declaratur & crudeliter, atq; auare facta uituperatur
si quis miles aut præfectus per occasionem libri se pec-
casse dixerit, is per ignorantiam affectatam, & malitiam,
seu per scandalum Pharisæorum deliquisse facile con-
uincetur. Contra uero ex editione libri, hæc maxima
commoda consequentur, Tolletur magnum scandalum
& infamia Regum nostrorum & nationis, qui vulgo
propter falsam, aut male intellectam quorundam Theo-
logorum doctrinam iniuste & tyrannice hos barbaros
in suam ditionem redegisse putantur, ut quidam nuper
impudentissime prodidit. Deinde qui ex hac expeditio-
ne aurū, uel argentū retulerūt, quid iuste, quid iniuste
parauerint, quid iure retinere possint, quid restituere
debeant facile & ab ipsis, & a sacerdotibus, quibus
peccata confitentur, intelligetur. Nunc enim utriq; in
magna iuris ignoratione uersantur.

Postremo, quæstione perorata, si Rex perstet in sen-
tentia, confessor contrariam probet, num recte pieq; ab
eo possit absolui, respondes statuisq; posse, propterea
quod utraq; opinio probabilis sit, seq; pari doctorum nu-
mero tueatur, quod si ita est obsecro te Præsul grauissi-
me, quid tibi & istis meis areopagitis in mentem uenit
in causa dubia regem uestrum, uestramq; nationē ius-
ditio uestro condemnare infamiaq; notare, & cum

magno totius orbis scandalo summi sacerdotis Ecclesieq;
iudicium atq; decretum tam sine causa reijcere, ut con-
temnere uideamini. hoc igitur dicerem si causa, ut uos
bis uidetur, esset dubia, nunc autem meis rationibus
expositis, si uerum quærimus nihil habet ambiguitatis.
Istorum enim opinio, nec uera est, nec probabilis.
Nam quod memoras de doctorum seu iudicum numero
uide ne parum diligenter rationem suffragiorum inie-
ris pro ista .n. opinione de scriptoribus solus Thomas
Caietanus facit, nec id aperte, ex cæteris autem nemo,
qui meæ sententiæ fundamenta ex me uel meis scriptis
plane cognouerit, præter admodum paucos ambitione
corruptos, qui ueritatem scienter & pertinaciter op-
pugnant, ne ab eo quod uoce, aut comentariolis ipsi
uel adiurati amici predicauerant, cum aliqua existima-
tionis iactura discedere uideantur. Nostra uero senten-
tia auctores habet ex Philosophis Principem ipsorum
Aristotelem Pol. 1. c. tertio & quinto. Ex iuris Pontif-
ficij peritis nobiscum faciunt consultissimi quiq; in .c.
quod super his de uoto. Ex Theologis uero August.
Ambro. Gregorius & Thomas uiri sanctitate & doc-
trina clari, qui omnes uim apertissime probant, ut in
hæreticos, sic etiam in paganos, ut demonstraui. Item
Ioan. Scotus, qui .4. sententiarum dist. 4. q. ultima
maiores etiam uim infidelibus horumq; filijs adhiben-
dam censet. Nicolaus Lyra numer. 31. Mag. Roa.
explicans art. Poli. 1. Io. Maioris qui .4. sentent. dist.
44. q. 3. hanc in barbaros expeditionem nominatim
probat. Alfon. Castrus lib. 2. de iusta hæreticorum
punitioe

ut dicitur

punitioe qui & ipse nuper Salmaticæ summa quæstio-
nis, quam ipse confeceram diligenter, ut idem Chirogræ-
pho quod penes me est profitetur perlecta & cōsiderata
libellum meamq; sententiam sine ulla exceptione pro-
bavit. Ad summam meum librum anteq̄ uersutus &
inimicus homo Zizaniã figmentis disseminasset, nemo
legit, & intellexit, quin magnopere probaret, in pri-
misq; quatuor doctissimi, & grauissimi uiri Fernãdus
Gueuara, & Franciscus Montaluus regij consiliarij,
Aluarus Moscosus, Didacus Viçtoria monachus domi-
nicanus, quibus singulis libri mei examen a regio cōsi-
lio fuit cōmissum, quorum theologorum Iudicium, quod
uterq; sua manu operi subscripsit, subieci.

Perlegi hoc opus, in quo nihil inueni a ueritate alienũ,
sed plura quæ legantur digna, adeoq; opus cum aucto-
re non modo commendo, sed admiror. Fr. Didacus
de Viçtoria. Quam sententiam nunq̄ ille contra com-
munem suorum persuasionem tã libere & incunetã-
ter pronuntiasset, nisi Francisci fratris Germani docti-
ssimi & animo ingenuo liberoq; uiri, qui bidui aberat
auctoritate fuisset confirmatus, cum quo librum meum
quem diu causis illatis retinuit & consilium comuni-
casse claris coniecturis pro certo mihi persuassi. Mos-
cosus autem ita subscripsit.

Et ego legi hoc opus docte elaboratum, & nihil inueni
quod meo iudicio probabilitate careat, immo ea quæ ex
sacris literis & sacris doctõribus hic adducuntur, ita
suadent huius doctõris intentum, ut nullus quãuis pro-
teruus oppositum audeat affirmare. Moscosus. nec est

silentio prætereundū grauiſſimū ampliffimi & doctiſſimi uiri Fernandi Valdeſij Hiſpalenſis Archiepiſcopi & Inquiſitoris generalis teſtimonium, qui cum meum librum & ſummam quæſtionis, de qua dixi ſemel & iterum legiſſet, nuper poſt præclarum illud iudiciū in doctiſſimorum grauiſſimorumq; virorum conſeſſu. cum de his rebus quæ tunc erant in ore omnium, cui. n. non ſcandalo fuit, res tam inſperata? pauca diſſeruiſſet. Dicam, inquit, quod ſentio, qui hunc librū impediēdi auctores initio fuerunt, hi multo magis ex officio facerent, ſi ſedulo darent operam, ut idem grādiſſimis literis excuſus ex pulpitis per omnem Hiſpaniam prædicaretur. Idem ſæpe profeſſus eſt Petrus Ortisius præſtāti doctrina Theologus, in cuius immatura morte magnam nuper iacturam ſtudia theologica fecerunt.

Petrus Sotus monachus Dominicanus Caroli Cæſaris ſacræ conſeſſionis adminiſter, in æpiſtola quam ad me miſit, negat ſe ullo modo de iuſticia belli huius dubitare ſed ne libri æditionē properarem me in eadem æpiſtola ſollicite ſemel & iterū, nescio qua ratione ductus, adhortatur. Idem Palam aſſerunt Ioa. Egidius, qui Salmanticæ ex cathedra theologiam docet. & hōcala canonicus Auilenſis primarij theologi, quorum hic non uoce tantū ſed euam ſcripto ſententiam ſuam teſtatus eſt. Et Alſonſus Herrera monachus Dominicanus cōſcionator regiſ uir doctiſſimus animo cādido & ingenuo, qui cum mea ſcripta legiſſet, meq; diſſerentē auſdiſſet ex me, inquit, Geneſi coniecturam facio, nec puſto a te quenq; diſſentire, niſi qui te tuāq; ſcripta, uel nō

audierit, uel non intellexerit. Item nobis suffragantur magno consensu hispalenses theologi, qui nuper summam quæstionis diligenter perlegerunt, in primisq; duo uiri doctissimi Ludouicus Caruialus Franciscanorum præfectus & Augustinus Sbaroia monachus dominicanus, qui theologiam ex cathedra in suorum collegio docet. Præterea uir, ut auctoritate, sic doctrina Præstans Michael Arcus Dominici ordinis in bætica præfectus Prouincialis qui nuper in Cordubensi cœnobio re diligenter ex meis scriptis, meq; differente perspecta, & cum doctis monachis non paucis collata, non solum meam sententiam cæteris, quos dixi, & imprimis Martino Mendoza eiusdē cœnobij præfecto grauissimo & ægregia doctrina uiro consentientibus palā probauit sed etiam mirari se se professus est, quæ causa impressionem libri huius moraretur, qui ad multorū errorem tollendū, & mentes scrupulis, & aculeis cōscientiæ perperam fortassis iniectis explicandas magnos pere pertineret a cuius sensu non abhorre uirum ei doctrina & auctoritate similem Dominicū cognomēto sanctæ Crucis eiusdem ordinis ad Castellam præfectū Prouincialem, nuper mihi retulit Dominicus a Cruce cognominatus ad nouam Hispaniam Præfectus & ipse Prouincialis, qui cum alijs perspectæ probitatis & religionis monachis ex illo altero orbe missus fuit, ut Carolus Cæsarem coram quid boni publici, & iustitiæ ratio postularet edocerent, peterētq; (id quod impetrarunt) ut pro sua prudentia, & æquitate tumultibus illarū regionū incolarum Hispanorum, & seditiōibus

leges temperando prospiceret, & pro sua sapiētia modum imponeret tantis malis, quæ mala, si uerum querimus ex unius hominis uel errore nostræ huic sententiæ contrario, uel etiam temeritate & rerum nouarum studio primam originem habuerunt, pro quibus malis, & quietis impatiēte animo, qui nos quoq; hic exercet homini malum cupere, uel imprecari alienum est meæ naturæ, & instituto, quin magis precor, ut deus illi meliorem mentem prebeat, quo discat aliquādo quietas cogitationes turbulentis consilijs anteferre. Ad summam, ut unde sumus digressi reuertamur, a nobis sūt omnes eruditi, quibuscunq; meam sententiam, & rationes exposui, præter paucos quos dixi, ambitione, aut alio grauiore morbo corruptum, & repugnantem animum gerentes, quos ipsos tamē tergiuersantes, & laborantes disputatione coegi, ut ad leuissima & plane indocta commenta, nolo enim dicere puerilia, miserabiliter confugerent more factiosorum hominum, qui in ciuilibus contentionibus, & magnis rerum angustijs ergastula soluunt. Longe igitur dispar nostra, & aduersariorū causa est. A quibus si ceteris in rebus tāto sperere uinceremur, quanto sumus superiores. Vna tamen summi Sacerdotis, & Ecclesiæ Sacrosacta, qua ipsi nitimur auctoritas in hac mores, & religionem publice attingente causa, omnes omnium aliorum iudicum sententias pondere, & maiestate apud pios omnes longe superaret, nec superaret modo, sed etiā pertinaciter obstetēs, hæreticos esse cōinceret. Vt igitur dicā quod sentio, & aliquando perorem, haud equidem uideo,

quomodo istorum opinio defendi queat quæ fundamē-
tis, & scriptis hæreticorum nititur, Euangelio, & sa-
crorum doctorum consentientibus declarationibus, &
testimonijs aduersatur, a uetere iudicio Ecclesiæ dissē-
tit, & nouum eiusdem grauissimum decretum, &
rescriptum nostris principibus Apostolicum oraculum
ex diuino præcepto (de quo est Deut. 17. & .c. per
venerabilē, qui filij sint legit) consulētibus datum cō-
temnit, aut quomodo non sit hæretica, si rebus, & ra-
tionibus cognitis, cum pertinacia defendatur.

C Hoc opus iudicio doctissimorum & grauissimorum
dominorum Philippi Archinti Sāctissimi domini nostri
Papæ Vicarij, & Aegidij Foscararij magistri Sacri
Palatij, ac Antonij Augustini auditoris Rotæ exami-
natum & approbatum & multorum aliorum erudi-
tissimorum virorū consensu in vrbe commendatum.

Impressum fuit Romæ apud Valerium
Doricum & Ludouicum fratres
Brixienfes.

Prima Maij Anno a Christo nato.

M . D . L .

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

17. De rebus in rebus
Faint, illegible text in the middle section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

DECRETVM ET INDVLTVM
ALEXANDRI SEXTI.

SUPER expeditione in barbaros noui
orbis quos Indos vocant.



IN NOMINE DOMINI
Amen. Nouerint vniuersi hoc
presens publicum trasumptum
inspecturi ꝓ nos Iacobus Con-
cillos Dei & apostolice sedis
gratia Episcopus Cathaniensis :
habuimus, vidimus, & diligēter
inspeximus infrascriptas litteras felicitis recordationis
Alexandri Pape sexti eius uera bulla plumbea cū cor-
dulis sericeis, croceiq; coloris more Romane curie impē-
dentis bullatas sanas siquidē & integras ac omnimoda
suspitione carentes huiusmodi sub tenore. ALEXAN-
DER Episcopus seruus seruorū dei carissimo in christo
filio Ferdinūdo Regi & carissime in Christo filie Elisa-
beth Regine Castelle Legionis, Aragonum, Siciliae &
Granate illustribus salutem & apostolicam benedictio-
nem. Inter cetera diuine maiestati beneplacita opera
& cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum
existit ut fides catholica & Christiana religio nostris
presertim tēporibus exaltetur ac ubilibet ampliatur &
dilatetur animarumq; salus procuretur ac barbarae na-
tiones deprimantur & ad fidē ipsam reducantur. Vnde
cū ad hanc sacram Petri sedem diuina fauēte clemētia
(meritis licet imparibus) euocati fuerimus cognoscētes

vos tãq̃ ueros catholicos Reges & principes quales sēz
per fuisse nouimus & a uobis preclare gesta toti pene
iam orbi notissima demonstrant: ne dū id exoptare sed
omni conatu, studio & diligētia: nullis laboribus, nul-
lis impensis, nullisq; parcendo periculis etiam propriū
sanguinem effundendo efficere ac omnē animū uestrū
omnesq; conatus ad hoc iamdudū dedicasse quēadmodū
recuperatio regni Granate a tyrannide Saracenorū ho-
diernis tēporibus per uos cū tāta diuini nominis gloria
facta testatur. Digne ducimur non immerito & debe-
mus illa uobis etiam sponte & fauorabiliter concedere
per que huiusmodi sanctum & laudabile ac immortalī
deo acceptum propositum in dies feruentiori animo ad
ipsius dei honorem & imperij Christiani propagationē
prosequi ualeatis. Sane accepimus quod uos qui dudū
animū proposueratis aliquas insulas & terras firmas
remotas & incognitas ac per alios hactenus nō reper-
tas querere & inuenire ut illarū incolas & habitato-
res ad colendum redēptorem nostrū & fidē catholicā
profitēdum reduceretis; hactenus in expugnatione &
recuperatione ipsius regni Granate plurimū occupati
huiusmodi sanctum & laudabile propositū uestrum ad
optatum finem perducere nequiuiſtis sed tandem sicut
domino placuit regno predicto recuperato, uolētes desi-
deriū adimplere uestrum dilectū filium Christophorum
Colon uirum utiq; dignum & plurimum cōmendandū
ac tanto negotio aptum cum nauigijs & hominibus ad
similia instruetis nō sine maximis laboribus & pericu-
lis ac expensis destinastis ut terras firmas & insulas

remotas & incognitas huiusmodi per mare ubi hactenus nauigatū non fuerat diligēter inquiriret. Qui tādē (diuino auxilio facta extrema diligētia in mari Oceano nauigātes certas insulas remotissimas & etiā terras firmas que per alios hactenus reperte non fuerant) inuenerunt in quibus q̄ plurime gentes pacifice uiuentes & ut asseritur nudi incedentes nec carnibus uescentes inhabitant, & ut prefati Nuncij uestri possunt opinari gentes ipse in Insulis & terris predictis habitātes credunt vnum deum creatorem in celis esse ac ad fidē catholicam amplexandum & bonis moribus imbuendum satis apti uidentur spesq; habetur quod si erudirentur nomen saluatoris domini nostri Iesu Christi in terris & insulis predictis facile induceretur. Ac prefatus Christophorus in vna ex principalibus Insulis predictis iam unam turrim satis munitā in qua certos Christianos qui secum iuerant in custodiam & ut alias Insulas ac terras firmas remotas & incognitas inquirerent posuit: construi & edificare fecit. In quibus quidem Insulis & terris iam repertis aurum aromata & alie q̄ plurime res pretiose diuersi generis & diuersae qualitatis reperiuntur. Vnde omnibus diligenter & presertim fidei catholice exaltatione & dilatatione (prout decet catholicos Reges & principes) cōsideratis: more progenitorum uestrorum clare memorie Regum terras firmas & Insulas predictas illarumq; incolas et habitatores uobis diuina fauente clementia subijcere et ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi uestrum sanctum & laudabile propositum

plurimum in domino commendantes ac cupiētes ut illud ad debitum finem perducatur & ipsū nomē saluatoris nostri in partibus illis inducatur: Hortamur uos quā plurimū in domino & per sacri lauacri susceptionē qua mandatis apostolicis obligati estis & uiscera misericordie domini nostri Iesu Christi attēte requiritmus ut cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi & assumere prona mente orthodoxe fidei zelo intendatis populos in huiusmodi insulis & terris degētes ad Christianam religionem suscipiendum inducere uelit & debeatis nec pericula nec labores ullo unquā tempore uos deterreant firma spe fiduciaque conceptis quod deus omnipotens conatus uestros feliciter prosequetur. Et ut tāti negocij prouinciam apostolice gratie largitate donati liberius & audatius assumatis Motu proprio non ad uestram uel alterius pro uobis super hoc nobis oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate & ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine omnes insulas & terras firmas inuentas & inueniendas detectas & detegendas uersus occidentem et meridiem fabricando & construendo unam lineam a polo arctico scilicet septentrione ad polum antarcticū scilicet meridiem siue terre firme & insule inueniente & inueniende sint: uersus Indiam aut uersus aliam quācumque partem que linea distet a qualibet insularū que uulgariter nuncupantur de los Azores & Cabo verde centum leucis uersus occidentem & meridiem. Itaque omnes insule & terre firme reperte & reperiende detecte & detegende a prefata linea uersus occidentē

& meridiem per alium regem aut principem Christianum non fuerint actualiter possesse usq; ad diem natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime preteritū a quo incipit Annus presens millesimus quadringentesimus nouagesimus tertius quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos uestros inuente aliquę predictarum insularum. Auctoritate omnipotentis dei nobis in beato Petro concessa ac vicariatus Iesu Christi qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominijs ciuitatibus castris locis & uillis iuribusq; & iurisdictionibus ac pertinētijs uniuersis uobis heredibusq; et successoribus uestris Castelle & Legionis Regibus in perpetuū tenore presentium donamus concedimus & assignamus uosq; & heredes ac successores prefatos illarum dominijs nos cum plena libera & omnimoda potestate auctoritate & iurisdictione facimus constituimus & deputamus. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem concessionem & assignationem nostram nulli Christiano principi qui actualiter prefatas insulas & terras firmas possederit usq; ad predictū diē Natiuitatis domini nostri Iesu Christi ius quesitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mādamus uobis in uirtute sanctę obedientię (ut sicut etiam pollicemini & non dubitamus pro uestra maxima deuotione & regia magnanimitate uos esse facturos) ad terras firmas & insulas predictas viros probos & deum timentes doctos peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores prefatos in fide catholica & bonis moribus imbuendum dēstmare debeatis, omnem debitam

diligentiam in premissis adhibentes. Ac quibuscunq;
personis cuiuscunq; dignitatis etiã imperialis & rega-
lis status gradus ordinis uel conditionis sub excommu-
nicationis latæ sententiæ pena quam eo ipso si contra
fecerint incurrant districtius inbibemus ne ad insulas
& terras firmas inuentas & inueniendas detectas &
detegendas uersus occidentem & meridiem fabricando
& construẽdo lineã a polo arctico ad polũ antarcticũ
siue terre firme & insule inuente & inueniende sint:
uersus indiam aut aliam quãcunq; partem: que linea
distet a qualibet insularum que uulgariter nũcupãtur
de los Azores & Cabo verde centum leucis uersus
occidentem & meridiem ut prefertur pro mercibus ha-
bendis uel quauis alia de causa accedere presũant absq;
uestra ac heredum & successorũ uestrorum predictorũ
licentia speciali. Non obstantibus constitutionibus &
ordinationibus apostolicis ceterisq; contrarijs quibus-
cunq;: in illo a quo imperia & dominationes ac bona
cunãta procedunt confidentes: quod dirigente domino
actus uestros si huiusmodi sãctum & laudabile propo-
situm prosequamini breui tempore cum felicitate &
gloria totius populi Christiani uestri labores & cona-
tus exitũ felicissimũ consequentur. Verũ quia difficile
foret presentes litteras ad singula queq; loca in qui-
bus expediens fuerit deferri: volumus ac motu &
scientia similibus decernimus: quod illarum transũptis
manu publici Notarij inde rogati subscriptis & sigillo
alicuius persone in ecclesiastica dignitate cõstitute seu
curie ecclesiastice munitis ea prorsus fides in iudicio &

extra ac alias ubilibet adhibeatur que presētibus adhiberetur si essent exhibite uel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre cōmēdationis hortationis, requisitionis, donationis, cōcessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis, & uolūtatis, infringere uel ei ausu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datis ROMAE apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadringētesimo nonagesimo tertio, quarto nonas Maij pontificatus nostri anno primo.

HAEC declaratio decretum atq; concessio Sacrorū canonum sententiæ consentit quæ habetur cap. per uenerabilem .s. rationibus qui filij sunt legitimi & cap. si non. 23. q. 4. in quo inquit Gregorius iustū sanctumq; esse bellum quod infidelibus a Christianis infertur ut eis imperio subditis prædicari possit Christi euangeliū, ne si imperio subditi nō sint, prædicationi & conuersioni eorum qui crediderint impedimēto esse possint. Idemq; decretum atq; cōcessio potestati Christi inicitur qui cū ei secūdum humanitatē, ut Hieronimus & Augustinus exponunt data fuisset omnis potestas in cælo & in terra, ut est Matth. ultimo hāc potestātē communicauit vicario suo, quæ quamuis ordinetur ad salutem animarum & bona spiritalia, non tamen excluditur a temporalibus quatenus hæc ordinantur ad spiritalia ut Tho. testatur de Reg. princ. liber. 3. c. 10

8
Et .13. subiectio autem barbarorum ad Euāgelij præ-
dicationem ordinatur, ad quā Papa non solum potestatem
habet a deo, sed etiam preceptum Euangelicum.
Non quod Paulus ad se pertinere negat de ijs qui foris
sunt iudicare, hunc habet intellectum non esse muneris
apostolici ut a Christianis, sic ab ijs, qui extra fidem sit
uitæ rationem poscere, uel ab eis ut Christiane uiuant
postulare. Cæterum dare operam ut ydem ad Christi
fidem conuertantur proprium esse muneris apostolici,
non solum ipsius Pauli, sed omnis omnium apostolorū
uita, Et ob id appetita mors testificatur. Vide
Augustini Epistolam .48. Et .50. Et .204. quæ
sunt ad Vincentium ad Bonifacium ad Donatum Et
citantur in decretis. 23. q. 4. c. non inuenitur. c. si Ec-
clesia. c. displicet. q. 6. c. uides item Epistolam Gregorij
73. primi libri Et 60. noni Et Ambrosij Epistolam
30. Et .31. Nam licet in hereticos disputat Augusti-
nus in eisdē rationibus a Charitate profectis concludit iuste
paganos compelli ut desistant idololatra dicto cap. non
inuenitur. Thomas secunda secunde. q. 10. ar. 8. infide-
les inquit compellendi sunt. si facultas adsit ne fidem
impediant blasphemijs uel alia ratione Et ideo frequē-
ter bellum in eos fideliter mouent, idem. q. 94. ar. 3.
testatur idololatria magnam blasphemiam contineri Et
fidem opere impugnari. Vnde Lyra super numer. c. 31
iustum esse bellum dicit contra idololatrias, ne deum
blasphement per idololatriam. Sed omnium maxime
facit. c. si non. 23. q. 4. uide etiam Innocentium Et
ostiensē Et Panormitanū in. c. q. super his de uoto.

Itaq; uis prohibita .c. de Iudæis dist . 45 . est nequis
inuitus baptizetur aut Christianus esse cogatur. Nam
deponere idololatriam & Christianorū imperio parere
iustissime compelluntur infideles ne fidei prædicationem
& propagationem impediunt, & facilius conuertantur
non tamen sunt nec possessionibus spoliandi, nec in ser-
uitutem redigendi.



Apologia pro libro de iustis belli causis

Juan Ginés de Sepúlveda

Apologia pro libro de iustis belli causis

Juan Ginés de Sepúlveda
Romae 1550 (Valerio Dorico Luigi Dorico)

The School of Salamanca
A Digital Collection of Sources and a
Dictionary of its Juridical-Political Language
<https://www.salamanca.school>

Volume 12

Directors:
Duve, Thomas
Lutz-Bachmann, Matthias

Akademie der Wissenschaften und der Literatur, Mainz
Max-Planck-Institut für Rechtsgeschichte und Rechtstheorie
Goethe-Universität Frankfurt/Main

Electronic publication, 2020-01-29
Online:
<https://id.salamanca.school/texts/W0095>

Editors:

Birr, Christiane
Rico Carmona, Cindy
Glück, David
Thönes, Martin
Wagner, Andreas

Digitized original(s):

Universidad de Salamanca
<http://hdl.handle.net/10366/19474>

Proposed citation:

, in: The School of Salamanca. A Digital Collection of Sources
<https://id.salamanca.school/texts/W0095>

**[[I]] APOLOGIA IOANNIS
GENESII SEPVLVEDAE PRO
LIBRO DE IVSTIS BELLI
CAVSIS AD amplissimum,
& doctissimum præsulem.
D. ANTONIVM RAMIRVM
Episcopum Segouiensem.**

1550

[[ii]] **ANT. AVGVSTINVS IO. GENESIO SEPVLEDÆ. S.**

SVMMAM illius quæstionis de bello Indico, quæ a te in libro de iustis belli causis pluribus uerbis perdocte perque eleganter disputatur, cum optimo antistite Philippo Archinto Pontificis Maximi Vicario, & cum religiosiss. Viro Eegidio Foscarario Sacri Palatij Magistro, atque alijs grauissimis & doctissimis theologis ac iureconsultis communicauit, sic enim mihi per litteras mandaueras. Omnes singularem in omni genere litterarum eruditionem & acre ingenium tuum semper admirati sumus, atque coluimus. Hæc etiam nobis quæstio digna uisa est, quæ in omnium hominum theatro tractaretur. Res enim maxima est, & ad plurimos homines nostræ nationis ac gentis pertinet, neque est a republica Christiana aliena. Itaque libellum ipsum pluribus exemplis describi edique permisimus, te fortasse non inuito. qui quamuis hæc non eo animo scripseris, ut in uulgus manarent, tamen comprimi ea abs te & abscondi oportuerat; si non te digna euolutura fuisse putaueras. Tu nos ama, & vale. ROMA Kal. April.

[[1]] APOLOGIA IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE PRO LIBRO DE IVSTIS BELLII CAVSIS AD amplissimum, & doctissimum præsuem. D. ANTONIVM RAMIRVM Episcopum Segouiensem.

COMMENTATIONEM tuam Præsul amplissime, quam de bello barbarico aduersus meum de iustis belli causis libellum elucubrasti, & mihi misisti cordubæ acceptam non sine quadam consilij tui demiratione perlegi. Mirabar enim, quæ te causa impulisset, vt elucubrato libello meam huius generis sententiam, oppugnare animum induceres, hominis primum tui, tuarumque virtutum, & dignitatis studiosi, & cupidi, deindæ publicam, & honestissimam, nostræ nationis & principis, cui tu plurima debes, causam aduersus quorundam pertinaciam apertissimis, & grauissimis diuinarum scripturarum, & sacrorum doctorum testimonijs, & firmissimo rationum præsidio, & ecclesiæ auctoritate defendentis. Nam te virum prudentem & antistitem grauissimum ambitioni seruisse, vt ingenium tam alieno loco, & doctrinam ostentares adduci non poteram. Præsertim cum parum, aut nihil de tuo afferas, sed pleraque omnia aliena, nec satis tua singulari eruditione digna, & ab his sumpta, qui calumnijs, & strophis, parum [[2]] vel prudenter, uel modeste, ne quid grauius dicam, in mea sententia honestissimam. R. Publicæ, ac Regum nostrorum causam oppugnant. Sed cum omnia sollicito animo & uaga cogitatione perlustrassem, in eam potissimum opinionem adductus sum, ut te uirum optimum, & perhumanum, nihil aliud secutum fuisse, quam offitium existimarem, & libello, quo rationum, quibus maxime nituntur aduersarij, momenta complexus es conficiendo, admeque mittendo, id egisse, vt uel me errantem, & rationibus cedentem, in uiam reduceres, aut si persisterem in sententia, quomodo obiecta diluerem, me respondente planius intelligeres. Faciam igitur quod tacitus iubes, immo uero plusquam iubes, proponam enim non tua solum argumenta sed etiam omnia, quæ mihi uel compluti, uel Salamanticæ fuerunt obiecta, & interiectis more scholastico mearum rationum fundamentis, & confirmationibus, ad singula respondebo, refellamque calumnias non tuas (noui enim animi tui candorem, ac simplicitatem) sed quorundam, ambitione, aut etiam grauioribus animi morbis laborantium hominum, quos certum habeo, omni ope elaborasse, quo te, ut multos alios eisdem præstigijs ludificarentur. Sed primum omnium deponenda tibi est falsa persuasio, si forte putas Salamanticensem aut Complutensem academiam contra meum libellum iudicasse, non enim vniuersitatis illud iudicium fuit sed paucorum corruptorum hominum artificium, non communis sententia, sed duorum aut trium vtrobique præstigiæ quorum cæteri auctoritatem propter doctrinæ maiorem opinionem suo iudicio prætulerunt. Sic igitur disputationem ordiris. Quæstio est, inquis, an liceat bello [[3]] indos prosequi auferendo ab eis dominia, possessionesque, & bona temporalia, & occidendo eos, si resistentiam apposuerint, ut sic spoliati, & subiecti facilius per prædicatores suadeatur eis fides. Quæstionem autem, ut de mea sententia disseratur, ad hunc modum proponere quid aliud est, quam in limine ut aiunt offendere? & ipso statim disputationis principio artes eorum prodere, unde ista sumpsisti? Qui cæterarum machinationum, quibus meum librum oppugnant, infirmitati diffidentes præsidium petunt a falsis criminibus, & quas iniurias, & impia latrocinia acerrime meus libellus infectatur, harum me patrocini

suscepisse mentiuntur, ut mihi faciant inuidiam sibi ueró concilient fauorem popularem, nisi forte meum librum uel non legerunt, uel lectum propter characteris paulo cultioris insolentiam non intellexerunt. Quod multis accidisse sensi ex his, quorum suffragio res permissa est, ut scias ipsum a plerisque indicta causa fuisse damnatum, iure diuino & naturali repugnante. Ego igitur ne te mea sententia, de qua quærendum est lateat, hos barbaros non possessionibus & facultatibus spoliandos esse dico, nec in seruitutem redigendos, sed Christianorum imperio subiiciendos, ne fidem, aut eius propagationem impediunt, prædicatoribus obsistendo, & deum per idololatriam blasphemando, & ob alias ipsorum utilitates. Aliter igitur quæstio proponenda est in hunc modum. Quæritur, utrum barbari, quos Indos uocamus Christianorum Hispanorum imperio iure subiiciantur, ut barbaris moribus, & cultu idolorum ac impijs ritibus sublatis ad accipiendam Christianam religionem ipsorum [[4]] animi præparentur, qui negant his rationibus ducuntur.

Primum ita disserunt bellum, quo isti barbari in Christianorum ditionem rediguntur non est iustum, non igitur iure debellantur. Illud probatur: iusta bella definiri solent (vt inquit Augustinus. 23. q. 2. c. dominus) quæ ulciscuntur iniurias, isti autem barbari nulla iniuria Christianos affecerunt, non igitur iure his bellum infertur.

Secundo, bellum, quod ad tradendam religionem pertinet non potest esse iustum, religionis igitur prætextu bellum barbaris iuste inferri non potest, Namque ad fidem neminem esse cogendum testis est Augustinus in epistola Petiliani, & habetur. 23. q. 5. ad fidem, & concilij Toletani. 4. decretum est ad credendum nemini esse uim faciendam, de quo est in c. de iudæis. disti. 45. & c. maiores de bapt. & eius effectum. Idem testatur Grego. in æpistola ad Pascas. de qua est in eadem dist. c. qui Syncera.

Tertio hoc bellum fit contra Christi & apostolorum exemplum qui persuasionibus tantum, nulla omnino ui adhibita religionem tradiderunt, non igitur iuste infertur. Cum omnis Christi actio debeat esse nostra instructio auctore Paulo Rom. 15.

Quarto finis huic bello propositus. s. barbarorum conuersio ad fidem, alia ratione, & sine armis commodius obtineri posset. s. per Euangelij prædicationem missis Apostolis, seu prædicatoribus, ut in primitiua Ecclesia factum est, non igitur est bellum inferendum. Nam bellum necessitatis esse debet, id est cum nulla alia ratione belli finem pacemque consequi datur vt testatur Augustin. 23. q. 1. c. noli. [[5]] Quinto. Nulli genti bellum est inferendum, nisi antecedente monitione, & cognita pertinacia, nam obtemperantibus iniustissime uis adhibetur. Quauis igitur idolorum cultum deponere, & prædicatoribus admittere nolentibus, iure possit bellum inferri, prius tamen ut hæc facerent, essent admonendi, ut non aliter, quam sprete admonitione pertinacibus bellum inferretur. Hoc autem quam factum est ab Hispanis in hoc bello, nunquam igitur iuste hoc bellum intulerunt.

Sexto, fieri non potest, aut certe difficillimum est, ut bellum hoc sine peccatis, multisque malis geratur, ut res ipsa docuit, nunquam enim gestum est sine iniuria & maleficio magnisque incommodis, & iacturis barbarorum. Non est igitur gerendum ne spe quidem boni quamlibet magni, quod euenturum esse uideatur, non enim facienda mala sunt, ut eueniant bona auctore Paulo ad Ro. c. 3. Septimo, Non est iuris, aut potestatis Ecclesie siue Pontificis de infidelibus iudicare, Papa ergo nec per se, nec per alium potest infideles ad cuiuspiam legis obseruationem compellere. Non enim fuit talis potestas Apostolis concessa, ut Paulus testatur. 1. cor. 5. dicens quid enim pertinet ad me de ijs qui foris sunt iudicare, ergo nec Ecclesie.

Contra hæc faciunt sanctorum patrum apertissima testimonia & Ecclesiæ decretum factum, atque declaratio.

Respondetur. optimo iure isti barbari a Christianis inditionem rediguntur.

Primum, quia sunt, aut erant certe, antequam in Christianorum ditionem uenirent, omnes moribus, plærique etiam [[6]] natura barbari, sine litteris, sine prudentia, & multis barbaricis uitijs contaminati, ut testatur historia generalis de ipsis scripta, & auctoritate Indici consilij probata lib. 3. c. 6. Barbari enim, ut ait Thomas, polit. primo lectione prima Simpliciter nominantur, qui ratione deficiunt, uel propter regionem cœli, ex qua hebetes magna ex parte inueniuntur, uel propter aliquam malam consuetudinem, qua homines fiunt quasi brutales, huiusmodi autem gentes, iure naturæ, debent humanioribus, prudentioribus, & præstantioribus parere, ut melioribus moribus & institutis gubernentur, sed si admoniti imperium recusent, possunt armis cogi & id bellum erit iustum iure naturæ, ut auctor est Aristo. primo Politicorum. c. 3. & 5. & Thomas ibidem, quo factum est, ut imperium Romanorum in alias gentes fuerit iustum & uoluntate dei quesitum, ut testatur Augustinus lib. 5. de ciuitate dei. c. 12. & deinde Romanis, inquit, concessit deus maximum & illustrissimum imperium ad domandum grauia mala multarum gentium, qui Romani propter gloriam multa uitia comprimebant. i. uirtutes colebant. Ergo eadem potioreque ratione Hispani possunt Indos in suam ditionem redigere. Hoc idem asserit sanctus Thomas de Reg. prin. lib. 3. c. 4 & deinde allegans Augustin.

Secundo isti barbari implicati erant grauissimis peccatis contra legem naturæ, cuius ignoratio, nemini suffragatur, propter quæ deus deleuit gentes peccatrices, quæ terram promissionis incolebant, cuncti. n. idolorum cultores erant & plerique omnes immolabant uictimas huma-[[7]]nas. Nam quod deus non occulto iudicio, sed propter huiusmodi idololatriam deleuerit eas gentes, testatur scriptura diuina non obscure sed uerbis apertissimis. Sic enim scriptum est in deut. c. 9. ne dicas, cum deleuerit eos dominus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me deus, ut possiderem terram hanc, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes, & c. 12. omnes abominationes, quas auersatur dominus fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni & c. 18. explicans scriptura impietates propter quas deletæ sunt gentes: sic ait. Quando ingressus fueris terram, quam dominus deus tuus dabit tibi, caue ne imitari uelis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinus & quærat a mortuis ueritatem, omnia enim hæc abominatur dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Quibus testimonijs aperte declaratur has gentes propter idolorum cultum, fuisse deletas. omnia enim peccata, quæ hic memorantur Theologorum consensu ad idolorum cultum referuntur, aut impiam superstitionem. Idem prope traditum est leuit. 18. & 20. & ps. 105. Item ob eadem peccata populum Israeliticum magna ex parte fuisse deletum, & in seruitutem & captiuitatem abstractum, testatum est eodem psalmo. Commixti sunt, inquit, inter gentes, & didicerunt opera eorum, immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & iratus [[8]] est furore dominus in populum suum, & tradidit eos in manus gentium. Adiuuat quod est sapientiæ. 12. & exod. 32. quibus rebus declaratur eis peccatis lex naturæ uiolari, cum ob eadem, utrique fideles & infideles puniti fuerint. Quare eisdem de rebus memorans Cyprianus in exhortatione ad martyrium addit, quod si ante aduentum Christi circa deum colendum, & idola spernenda hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi seruanda, quæ uerba habentur. 23. q. 5. c. si

audieris. Cui plane astipulatur Ambrosius ut est. 23. q. 5. c. remittuntur. His testimonijs cum idolorum cultus modo per se, modo accedentibus humanarum uictimarum sacrificijs, causa iusti belli ac internicionis fuisse memoretur, aperte declaratur idololatria per se satis magnam & iustam causam præbere fidelibus ad bellum idololatriis inferendum, ut Nicolao Lyræ uisum est. Numerorum. c. 31. illud præcipue ex Deut. 12. citanti, subuertite omnia loca in quibus gentes, quas possessuri estis, coluerunt deos suos. Quod etiam Diui Thomæ doctrina, & testimonio comprobatur, qui cum secunda de. q. 10. ar. 8. scripsisset, infideles posse bello a fidelibus compelli, non ut credant sed ut fidem non impediunt, blasphemijs, uel malis persuasionibus, aut persecutionibus post hæc. q. 94. ar. 3. idololatria magnam blasphemiam contineri, & opere fidem impugnari testatur. Quam doctrinam secutus Lyræ, quo loco diximus, una inquit iusti belli causa est, contra terram, in qua deus per idolatriam blasphematur, itaque Augustinus in Epistola. 50. quæ est ad Bonif. docens pios roges seruire deo [[9]] idolorum cultum oppugnando sic (inquit) Ezechias seruiuit domino lucos & templa idolorum, & excelsa quæ contra præceptum dei fuerant constructa destruendo. 4. Reg. 18. & Iosias eadem faciendo. 4. Reg. 23. sicut Rex Niniuitarum ad placandum dominum vniuersam ciuitatem compellendo. Ios. 3. sicut seruiuit Darius idolum fragendum in potestatem Danieli dando Daniel. 14 sicut seruiuit Nabuchodonosor &c. Nam quod Caietanus infideles negat iure posse a christianis ob infidelitatem, debellari, intelligendum est ob solam infidelitatem, puniendi gratia, non autem si fuerint simul idolorum cultores, aut alia ratione non seruent legem naturæ. Item alia ratione probatur concessum esse Christianis bello persequi idolorum cultores auctoritate publica; & pontificia. Christo enim secundum humanitatem data est omnis potestas in cælo & in terra. Vt est Mathæi ultimo. hanc autem potestatem Christus Petro vicario suo & successoribus communicauit, ut docet Thomas de Reg. Prin. lib. 3. c. 10. & 12. quæ potestas & si proprie uersatur in ijs quæ pertinent ad salutem animæ & bonis spiritualibus tamen a temporalibus quatenus ordinantur ad spiritualia non excluditur. vt est in eodem libro. c. 13. Habet igitur Papa potestatem ubique gentium, non solum ad prædicandum euangelium, sed etiam ut gentes si facultas adsit cogat, legem naturæ, cui omnes homines subiecti sunt, seruare. vt Innoc. & Hostien. grauissimi Auctores tradiderunt, in. c. quod super his de uoto quibus Ioan. Andreas & Panor. suffragantur. Nam Christus qui sic præcepit Apostolis Mathæi ultimo [[10]] docete omnes gentes, quaecunque mandauit uobis. Idem naturæ leges, quæ decalogo, & dilectione proximi continentur, in primis seruari iussit. Vt autem infideles euangelicam prædicationem audire & legem naturæ seruare cogantur necesse est ut Christianorum imperio subijciantur, causaliter igitur ut utar uerbo pontificio hoc quoque pertinet ad potestatem Papæ quod magnopere dirigitur ad spiritualia quæ sunt eiusdem potestatis. c. per uenerabilem §. rationib. qui filij sint legit. Qui autem idola colunt ij maximo uiolant legem naturæ. Iure igitur Idololatræ bello possunt a Christianis coerceri, ut ipsorum imperio subiecti ex lege naturæ uiuere cogantur, neue per idolorum cultum ab ipsis deus blasphemetur, & offendatur. Legem autem naturæ ab idolorum cultoribus minime seruari dubitari non poterit, si legem naturæ ab aliqua gente non seruari, quid sit intelligatur. Quamuisque enim omnia peccata mortalia sint contra legem naturæ, ut esse docet Augustinus contra Faustum lib. 22. non tamen si qua in gente peccata mortalia patrantur, protinus hi dicendi sunt legem naturæ non seruare, ut, iuniores quidam theologi falso putarunt. Nam eo quidem modo nusquam gentium lex naturæ seruaretur. Causa enim publica publicis moribus & institutis diiudicanda est, vt docet Aristotiles Politic. 3. non singulorum recte,

aut perperam factis. Sed ea demum gens legem naturæ non seruare intelligenda est, apud quam peccatum aliquod mortale in rebus turpibus non habetur, sed publice probatur, ut apud hos barbaros homicidium innocentium, qui multis in regionibus immolabantur, & ubique apud [[11]] eosdem idololatria, quod est peccatorum grauissimum. Quibus rationibus planè intelligitur non peculiari dei uoluntate & occulto iudicio, sed comuni lege naturæ, propter memorata flagitia, quæ pertinent omnia ad idolorum cultum, illas gentes fuisse deletas. Itaque his diuinæ historiæ & sacrorum doctorum testimoijs colligitur hos barbaros propter suas impietates, si iure summo agendum esset, potuisse, & vita, & terris ac bonis omnibus mulctari ad iustam punitionem, quanto igitur magis iure possunt Christianorum imperio subijci, non ut talia patiantur (nam possessionibus eos aut libertate priuare uetitum est lege Regum Hispanorum) sed ut Christianorum imperio subiecti a talibus flagitijs, quibus maxime deus offenditur abstinere cogantur, & meliorum rerum consuetudine & piorum commercio ad ueri dei cultum & religionem accipiendam præparentur. Huc quoque pertinet, quod est Deut. 20. si quando, inquit, accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. sin autem &c. deinde sic (inquit) facies cunctis ciuitatibus, quæ a te procul ualde sunt. 1. quæ sunt diuersæ religionis, ut glossa interlinearis exponit, quod in idololatræ maxime conuenit itaque idolorum cultores designat, quamuis eorum iniquitates non essent completæ ut Amorrhæorum, ut melioribus & pijs hominibus parentes ad ueri dei cultum ipsorum uel doctrina, uel exemplo dirigerentur.

Tertio, innocentes homines, ne indigna morte trucidentur, seruare omnes homines iubentur lege diuina & [[12]] naturali, si facere id possint, sine magno suo incommodo. Cum igitur isti barbari singulis annis multa innocentium hominum millia ad impias dæmoniorum aras mactarent (constat enim in sola noua Hispania singulis annis, amplius uiginti millia immolari solita) idque prohiberi hac una ratione posset, si proborum, & a talibus, & tam in manibus flagitijs abhorrentium hominum, quales sunt Hispani, imperio subijcerentur. Quis dubitet, uel hac una ratione, iustissime barbaros potuisse & posse a Christianis in ditionem redigi.

Quarto, homines periculosissime errantes, & ad suam certam perniciem contententes, seu ignorantes id, seu scientes faciant, reuocare atque etiam inuitos ad salutem retrahere, iuris est diuini & naturalis, & officium quod sibi etiam inuitis præstari omnes homines sanæ mentis uellent. Omnes autem homines qui extra Christianam religionem uagantur æterna morte perire, si quis dubitat, non est Christianus. Iure igitur barbari salutis suæ causa ad iustitiam compelluntur. Hoc autem officium dupliciter præstari potest, uno modo per doctrinam tantum & exhortationem, altero uero quadam adhibita, & pœnarum metu, non ut credere cogantur, sed ut tollantur impedimenta, quæ obesse possent fidei prædicationi, & propagationi. Priore modo usus est Christus, & Apostoli, secundo usa est Ecclesia postquam Regum & Principum Christianorum potentia, & præsidio munita est, & utrunque factum, ut docet August. diuino & euangelico præcepto, quod conuiuij similitudine continetur Lucæ. 14. Nam, cum primi inuitati uenire noluerint, [[13]] Secundi permonitu & doctrina fuerint ad epulas diuinas introducti, Postremi, ut intrent compelli iubentur. Qua de re Augustinus Epistola ultima & habetur. c. displicet. 23. q. 4. cum ipsi primorum temporum ratio ab hæretico Donato obijceretur, Non attendis, inquit quod tunc Ecclesia nouo germine pullulabat, nondum completa fuerat illa prophetia, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Quod utique quanto magis impletur,

tanto maiore Ecclesia utitur potestate, ut non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum, ad cuius confirmationem subiicit Parabolam Euangelicam, de qua dixi. Nam quod est in concilio Toletano, & c. maiores de bapt. & eius effectu neminem ad credendum cogi debere, planum & apertum habet intellectum, neminem nec ui, aut bello, nec minis compellendum esse ut Christianus fiat, baptismumque suscipiat inuitus. Cuius ratio est, quoniam ea uis esset inutilis, nemo enim uoluntate, quæ cogi non potest repugnante, potest effici fidelis. Itaque doctrina & persuasionibus utendum est. Cæterum, ut quisquam deponat omnia impedimenta ut superbiam licentiamque peccandi, quæ obesse possent tradendæ doctrinæ, minis, & pœnarum metu iustissime cogitur auctoribus August. Amb. & Gregorio nam quod est in concilio Toletano. idem August. qui uim probat, multo ante dixerat ad fidem, inquit, nemo cogendus est, ut dicitis. alloquitur autem hæreticum Petilianum. 23. q. 5 ad fidem, sed uos imperatoria lege non benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit quod est in libera uoluntate. Cum [[14]] aliquid ergo aduersus uos leges constituunt, admoneri uos credite, ut cogitetis, quare ista patiamini. At idem in Epistola ad Vincenti. ut habetur. 23. q. 6. c. uides sic scribit. Vides inquit non esse considerandum quod quisquam cogitur sed quale sit illud ad quod cogitur, utrum bonum an malum, non quod quisquam bonus possit esse inuitus, sed timendo quod non uult pati, uel reliquit impedientem animositatem, uel ignoratam compellitur agnoscere ueritatem, ut timens uel respuat falsum, de quo contendebat, uel quærat uerum, quod nesciebat, ut uolens iam teneat, quod nolebat. Nam licet contra hæreticos hæc disserat Augusti tamen rationes ipsius contra paganos similiter ualere idem ipse August, docet in eadem æpistola ad Vinc. ubi de legibus contra utrosque latis memorat declarans, neutris uim factam fuisse a Christo, uel Apostolis, postea uerò utrisque illatam ab æcclesia potentia & legibus imperatorum Christianorum munita, ut habetur. 23. q. 4. c. non inuenitur, in qua æpistola docet eisdem rationibus iustam esse legem latam, aduersus sacrificia paganorum, & ab omnibus Christianis laudatam quæ habetur in. c. de paganis & eorum sacrificijs. l. 1. ibi enim constituta est pœna capitalis & bonorum publicatio. si quis amplius sacris & ritibus paganis uteretur quam legem primum a Constantino ut Eusebius in historia ecclesiastica & Hieroni. in chronicis testantur latam, & post a Constantio filio & alijs imperatoribus confirmatam ut piam & iustissimam pugnacissime deffendit Ambro, apud Imperatorem Valentinianum æpistolis. 30. & 31. Gregorius autem in æpistola ad [[15]] Aldibertum Britanorum Regem, que sanctiss. nom. lib. 60. hæc de rebus eisdem tradit. Sic enim Constantinus quondam pijssimus Imperator Romanam Remp. a peruersis idolorum cultoribus reuocans, omnipotenti deo Domino nostro Iesu Christo secum subdidit &c. nec interest subiecti sint Pagani imperio Christianorum an secus, quibus uis salutifera est inferenda. Nam sisibutus Rex hispaniæ, qui Iudæos ut Christiani fierint coegit, in sibi subiectos uim intulit, tamen factum eius non perinde probatur quia talis uis simpliciter, siue directe ad Christianismum compellens, inutilis habetur, quia uoluntatem cogere nequit, & pertinaciores facit. Prohibere autem a malo, quod fit lege Constantini, quæ eadem est Constantij magnum beneficium est, & quod, si absque incommodo nostro possumus, omnibus hominibus, ut proximis impendere iubemur, lege diuina & naturali. Mandauit deus unicuique de proximo suo. Hæc igitur est ratio ex Euangelica parabola, & August. Ambrosij & Gregorij doctrina, paganos ut ad Christi epulas intrent compellendi. Vt primum Christianorum imperio, si fieri sine magno incommodo nostro possit, qui non sunt subiecti, subiiciantur. Deinde ut lege Constantini conuenienter Idolorum cultu & omnibus Ethnicis ritibus prohibeantur, tollanturque

omnia impedimenta, quæ obesse possent euangelicæ prædicationi. Quibus rationibus, & testimonijs edoctus diuus Thomas secunda. 2. q. 10. ar. 11. Ritus infidelium præterquam Iudeorum negat esse ullo modo tolerandos si facultas adsit, quanuis aliquando, inquit, fuerint ab Ecclesia tolerati, cum. s. erat magna [[16]] infidelium multitudo. 1. antequam essent Principes Christiani, qui cogere possent. His autem rebus confectis, nulla præterea uis, nullus metus, quo Christiani fiant, est adhibendus. Sed ita præparati doceri debent, & fidei prædicationi, ut Christianismum uolentes suscipiant, induci, ut sapientissimi ac sanctissimi Pontificis Gregorij decreto seu testimonio declaratur, quod habetur. 23. q. 4. si non. quo in loco Gennadium uirum optimum, & Christianissimum laudat & ab omnibus laudari testatur, quod gentes paganas haud dubie non subiectas in Christianorum ditionem bello redigendas curaret, non ob aliam Causam, nisi ut cum essent debellatæ facilius in Christianam religionem per liberam fidei prædicationem, inducerentur. Nam Gennadium scribit ubique laudari, quod bella frequenter appeteret, non, inquit, desiderio fundendi sanguinis, sed tantum dilatandæ causa Rei p. in qua deum coli conspicimus, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. Loquitur autem non ut quidam somniarunt de Saracenis siue Mahumetanis, qui eo tempore nulli dum erant, nec ut alij, de Vandalis, qui iam fuerant a Bellisario deleti nec ut alij de hæreticis, qui puniendi erant, non debellandi, nec gentium alieno nomine uocandi, sed de gentibus in Africa interiore Romano Imperio finitimis, ut declaratur in extremo eiusdem Epistolæ, quæ primi libri est 73. nec denique quod Christianos infestarent, ut falso quidam causantur. hoc enim exclusum est a Gregorio per uerbum tantum, sed ut a Christianis debellati fidei prædicationem, & propagationem non impedirent. Hoc [[17]] est enim quod Thomas ait secunda. 2. q. 10. ar. 8. frequenter, inquit, Christi fideles contra infideles bellum mouent, non quidem ut eos ad credendum cogant, sed ut compellant, ne sidem impediunt, explicans uidelicet causam cur Gennadius, pium bellum infidelibus frequenter inferret. Nam gentes, quæ non sunt Christianorum imperio subiectæ multifariam fidem eiusque propagationem si quis eam inducere uelit impediunt. Primum quia publicam eius prædicationem non admittunt, ut constat etiam auctore Thoma lib. 3. de Reg. prin. c. 16. nunquam ante Constantini tempus sine mortis periculo publice fidem prædicare licuisse. deinde quia prædicatores etiam occultos occidunt, & ne qui suorum conuertantur obsistunt & conuersos persuasionibus, aut etiam persecutionibus auertere conantur ut sæpe & a multis ante Constantini principatum factum est, & passim initio Ecclesiæ siebat. Accedit quod infideles Christianis subiecti facilius adducuntur, ut nostros mores & religionem sequantur.

Non igitur sola prædicatione & disputatione utendum est, nec in paganos, nec in hæreticos, ut in primitiua Ecclesia cum nullus principum crediderat, sed cum facultas adsit, uis utilis & permissa quemadmodum exposuimus, adhibenda. Hæc enim expeditissima ratio est gentes ad Christi fidem conuertendi, ut omni seculo res ipsa & exempla docuerunt. quæ exempla uim habent demonstrationis teste eodem August. in eadem ad Vincent. Epistola. Cuius uerba translata sunt. 23. q. 6. uides mea primitus inquit Sententia erat, neminem ad Christi & Ecclesiæ unitatem esse cogendum, uerbis esse agendum, [[18]] disputatione pugnandum, ratione uincendum. Sed hæc mea opinio non contradicentium uerbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primum opponebatur mihi, mea ciuitas, quæ cum tota fuisset in parte Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conuersa est. Quam nunc uidemus ita animositatis uestræ perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Et item aliæ multæ. Thomas

quoque de Reg. prin. lib. 3. c. 16. quo anno, inquit, Constantinus conuersus est ad fidem, baptizata sunt circa partes Romanas plusquam centum millia hominum. Quod euenire constat eodem modo in hac Indorum conuersione, qui cum fuerint in ditionem redacti, & impijs sacrorum ritibus prohibiti uix euangelica prædicatione audita, agminatim confluunt baptismum postulantes, sic enim ferè hominum more ac natura comparatum est, ut uicti facile in morem uictorum & imperantium transeant, & facta, dictaque eorum libenter imitentur. Itaque hac ratione paucis diebus plures & tutius ad Christi fidem conuertuntur, quam fortasse trecentis annis, sola prædicatione conuerterentur. Fieri enim non potest, ut Philosophus ait, Ethicorum. 10. aut non facile fit, ut ea uerbis mutantur, & extrudantur, quæ impressa sunt moribus, temporeque diuturno retenta. Itaque ui opus esse ait, Vnde natae sint leges, quæ uim cogentem habent. Cui naturali dogmati maxime conuenit, August. Ambrosique doctrina, & Ecclesiae atque Gregorij Sapientissimi Papæ decretum in memorato cap. Si non. Quod solum per se potest omnem controuersiam in hac causa comuni lege rationeque dirimire. [[19]] Congruit Etiam Ioan. Scoti doctrina, qui maiorem etiam uim in tradenda religione infidelibus & filijs infidelium adhiberi censet. 4. sententiarum dist. 4. q. ultima & Ioan. Maioris 4. sententiarum dist. 44. q. 3. qui hanc in barbaros expeditionem nominatim probat.

Quas rationes atque decreta secutus Alexander Sex. Papa anno Christi. 1493. Fernando & Isabellæ Regibus nostris, ab eximia religione Catholicis cognominatis oraculum & sententiam sedis Apostolicæ iuxta tradita deut. 17. & c. per uenerabilem, qui filij sint legitimi. Sciscitantibus uolentibusque, & suo iure petentibus rescribens negotium dedit, & magnopere hortatus est, ut hos barbaros imperio suo subijcerent, & ad Christi fidem reducendos curarent, his uerbis, quæ ex bulla plumbata descripta sunt. unde omnibus diligenter, & presertim fidei catholice exaltatione & dilatatione pro ut decet catholicos Reges & principes consideratis more progenitorum uestrorum claræ memoriæ Regum terras firmas & Insulas prædictas illarumque incolas & habitatores, uobis diuina fauente clementia subijcere & ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi uestrum sanctum ac laudabile propositum, plurimum in domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, hortamur uos quamplurimum in domino & per sacri lauacri susceptionem qua mandatis Apostolicis obligati estis & uiscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi attente requirimus ut cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi & assumere prona mente orthodoxæ fidei zelo intendatis, [[20]] populos in eiusmodi insulis & terris degentes ad Christianam religionem suscipiendam inducere uelit & debeatis, nec pericula, nec labores ullo unquam tempore uos deterreant, firma spe, fiduciaque conceptis, quod deus omnipotens conatus uestros feliciter prosequetur. Hæc Alexander Pontifex. Cui & similibus decretis non solum stare Christiani homines eo decreto iubentur, sed si quis non paruerit, aut contradixerit ipso iure per dictum Caput per uenerabilem excommunicatur, & alioquin Christi vicarium, ut in libro de dispensatione testatur Bernardus, tanquam ipsum Christum, in ijs quæ non sunt aperte contra deum audire debemus. Cuius decreta & rescripta in ijs, quæ fidem, aut mores attingunt, contemnere, hæreticum esse, magni Theologi tradiderunt. (vide Syluium in uerbo canonizatio) Quo igitur iure Christi vicarius potest gentes omnes ab idolorum cultu, si facultas adsit, prohibere, & ad prædicationem Euangelicam audiendam compellere. Eodem ualet ipsas imperio Christianorum per se, aut Principes Christianos subijcere. Cum hæc uia expeditissima sit & commodissima ad ea perficienda & salutem animarum comparandam.

Cæterum quidam docti quidem homines, sed non perinde vsu rerum periti oportere tradiderunt, ut antequam bellum pararetur, missis legatis admonerentur barbari ut ab idolorum cultu desisterent, & Christianæ religionis predicatores publice admitterent, ut si postulatis adquiescerent, ipsorum animarum saluti citra bellum consuleretur, sin autem hæc ab ipsis impetrari non possint, tunc iustis armis debellati imperata sacere compellerentur [[21]] quæ admonitio, fateor, si absque magnis difficultatibus, et utiliter fieri posset, non erat repudianda, nec omittenda Est. n. similis ei, quam Christus fieri iubet in fraterna correctione, priusquam ad denuntiationem procedatur.

Cæterum quemadmodum in fraterna correptione, inutilis admonitio omittenda est Theologorum consensu, & ad denuntiationem, si res præsertim publica postulet, procedendum, sic est de huiusmodi admonitione in hoc bello barbarico statuendum, ut omittatur omnino, si prudenter existimantibus inutilis fore uideatur.

Nam debet, qui arat, arare, in spe fructus percipiendi auctore Paulo. i. cor. 9. & quod est inutile pro nullo habetur, ut dederat caput inter corporalia de translatione Episcopi. hanc autem admonitionem esse inutilem in tali causa, ac idcirco nunquam factam fuisse, multifariam declaratur. Primum quia est factu difficilis, & erat difficillima initio belli tot enim nationes tam barbaras, immenso Oceani & terrarum interuallo distantes, nullo linguæ commercio adire & admonere, nec solum quid responderent, sed etiam quid facerent expectare, res esset tam difficilis, tanti sumptus, tam longi temporis, ut facile principes omnes Christianos a tali conatu deterreret Itaque hanc admonitionem, ut necessariam inducere, nihil aliud erat, quam expeditionem piam & barbaris salutiferam, ac proinde ipsorum conuersionem, quæ finis belli est penitus impedire. Est igitur inutilis & proinde omittenda Nam quæ ordinantur ad finem, hæc rationem boni, ex ordine ad finem sortiuntur, Quare quæ finem impediunt non habent rationem boni. Vt Thomas, secunda. 2. q. 33 [[22]] ar. 6. ad. 3. tradidit. Deinde hæc admonitio, & si superatis difficultatibus fieret nihil tamen, aut parum prosicerent, esset igitur inutilis & ommittenda. non. n. est probabile, neque uero simile gentem aliquam per solam admonitionem & externæ nationis exhortationem adduci posse, ut insitam & a maioribus acceptam religionem relinquat. Nam ut est in æpistola August. ad Vincen. si docerentur infideles, & non terrerentur, uetustate consuetudinis obdurati ad capessendam uiam salutis, pigrius mouerentur. Si quis autem dicat non uerbis solum admonendos esse barbaros sed etiam metu admoti exercitus terrendos, ut metu saltem imperata faciant, iam hoc esset difficultatem admonitionis plurimum augere, & uim facere, propter quam uitandam ipsi admonitionem inducunt, quæ uis si facienda est, non est omittenda utilissima, quæ imperium Christianorum accipere cogat. Præterea quamuis barbari metu impulsi prædicatores admitterent, & cultum idolorum ad tempus deponerent uel potius deponere simularent, tamen non dubium est quin timore sublato essent ad pristinos mores reuersuri & prædicatores eiecturi, aut ipsos etiam & ab ipsis conuersos nisi ad pristinam impietatem redirent occisuri vt initio nascentis æcclesiæ fiebat. Quæ omnia incommoda & difficultates debellatis barbaris facillime tolluntur, & sic plus uno mense in ipsorum conuersione proficitur, quam centum annis per solam prædicationem, non pacatis barbaris proficeretur. Non enim, arbitror, nostri temporis prædicatores sine miraculis plus efficerent, quam quondam Apostoli, domino cooperante & [[23]] sermonem confirmante sequentibus signis. Quæ signa iam non sunt a deo postulanda, cum nobis liceat præceptum eius sequentes prudenti consilio barbaros ad conuiuium euangelicum, qua diximus ratione compellere. Accedit quod barbarorum subiectio causa est magni Christianorum concursus quorum

illi commertio, & consuetudine facilius conuertuntur, & conuersi commodius edocentur, constantius in accepta fide persistunt nec in hæreses labi permittuntur, & facilius barbariem exuunt, humanioribus & Christianis moribus induuntur. Cum igitur duæ viæ sint, quibus ad barbarorum conuersionem procedi posse uideatur, altera per monitionem solum, doctrinamque & prædicationem, difficilis, longa, & multis periculis, & laboribus impedita, altera per subiunctionem barbarorum, facilis, breuis, & cum multis barbarorum commoditatibus expedita, utra progrediendum sit, non est prudentis hominis dubitare, præsertim cum August. auctorem habeamus, qui expeditiore, progrediendum esse, aperte uerbis illis, quæ ex Paulo ante citauimus declarat. Si docerentur, inquit, & non terrentur uetustate consuetudinis obdurati ad capessendam uiam salutis pigrius mouerentur, quibus plane docet August. non doctrina modo agendum esse, sed uim etiam salutiferam, quæ uiam doctrinæ muniat adhibendam.

His rebus explicatis superest, ut ad obiecta respondeamus.

Ad primum igitur respondeo. bello quod idololatriæ infertur, non tam hominum quam dei iniurias, quæ multo grauiores sunt, uindicari, & alioquin iniuriam infert [[24]] postulanti, qui iusta postulata non facit, & qui parere alteri debet, is si admonitus imperium recuset, iniuriosus est, ut appareat hoc bello, humanas quoque non solum diuinas iniurias uindicari, nam nec iniustum bellum inferre, nec iustum illatum, si rite fuerit indictum propulsare licet, sine iniuria, non enim solum, contumeliam inferre, sed ut cunque iniuste in quenquam facere iniuria est Ad secundum, fateor, neminem esse ad fidem cogendum, ut inuitus credat, inuitus baptizetur, ut pœnis, aut metu Christianus fieri compellatur, quæ summa est decretorum & testimoniorum obiectorum. Esset enim ius inutilis, & irrita opera, nam credere uoluntatis est, quæ cogi non potest. Idolorum autem cultores Christianorum imperio subiicere, ut impijs ritibus abstinere, & legem naturæ seruare euangelicos prædicatores sublatis impedimentis audire cogantur, iustum est ac pium, & ab æcclesia comprobatum & factum eorundem sacrorum Doctorum testimonio August. 23. q. 4. c. non inuenitur Gregor. in Epistola ad Aldibertum, quæ est lib. 9. Sexagesima. Ad tertium Christi facta, siue actiones, si possumus imitari fas est & pium, sed ita, nisi Christus aliter statuatur. quanquam igitur Christus nullum, nec paganum, nec hæreticum ad æpulas euangelicas, hoc est ad fidem compulit, nec ipse, nec Apostoli, idem tamen, cum Regum ac principum Christianorum facultas esset, ut utrosque, qua ratione diximus, compelleremus, præcepit in euangelica parabola. vt August. Amb. Gregoriusque exponunt, & ita factum est ab ecclesia tempore Constantini, item [[25]] Gennadij, cuius bella Grego. maxime laudat, ut supra memorauimus. Hanc tertiam obiectionem accuratissime confutat August. in Epistola. 50. quæ est ad Bonifatium Non considerant, inquit, aliud tunc fuisse tempus & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperatorum &c. Quod ergo quidam cauillantur euangelicam illam compulsionem, ad exemplorum & miraculorum uim esse referendam, commentitium est, & strophæ hæreticorum ab August. in eadem ad Bonifacium æpistola consutata.

Ad quartum nego commodius barbaros per solam prædicationem ad fidem induci, quam si prius fuerint debellati, quin potius nisi debellantur, multæ & magnæ difficultates obsunt prædicationi, & conuersioni, de quibus supra diximus. Quæ omnia impedimenta tolluntur, si prius gentes fuerint in Christianorum ditionem redactæ. Itaque bellum est necessarium ad prædicationem & conuersionem, non quidem simpliciter, sed quia recte, hoc est sine magnis difficultatibus, res fieri non potest, nisi gentibus debellatis. Nam cum necessarium quinque modis dicatur auctore Aristot. Metaphysicorum quinto vno modo necessarium

id esse intelligitur, sine quo res, aut omnino, aut recte fieri non potest. Bellum igitur necessarium est, nisi forte barbari uoluntate, & sine armis inditionem redigerentur. Nam uia prædicationis sine ulla ui longa est, & multis difficultatibus impedita. Ad quintum. duplex hoc in bello intelligi potest admonitio, vna qua pax offertur, si fecerint imperata, ut præcipitur. Deute. c. 20. his uerbis. Si quando accesseris [[26]] ad expugnandum ciuitatem, offeres ei primum pacem, si receperit, & aperuerit portas cunctus Populus qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Quæ admonitio non in hoc solum, sed in omni bello iuste inferendo necessaria est, si forte ratione, aut denutiatio periculi, sine sanguine hostes ad deditionem compellere & quod petimus assequi detur. Alia esset admonitio, de qua supra memorauimus, & quam inutilem fore, ac proinde omissam, & omittendam esse demonstrauius. Ad sextum respondeo, istam rationem, nihil magis contra hoc bellum facere, quam contra cætera, quacunque ratione fuerint illata, uix enim unquam bellum gestum est sine magnis incommoditatibus, & iacturis, sine aliqua iniuria & maleficio. Cæterum non si difficile est bellum et ex causa iusta gerentem, iniurias & maleficia cauere protinus, est impossibile, nec principi, cuius iusta, uel iniusta causa, bellum iustum facit, aut uicissim iniustum assignanda sunt crimina a militibus præter eius uoluntatem admissa, nec ea ex causa iusta, iniustam faciunt siue damnandam. Quod si pericula etiam & peccandi occasiones Christianis legibus uitare iubemur, non tamen cum maius alterum malum uitare eodem tempore necessitas adhortatur, aut si aliorum uocet publica & magna commoditas. Nam licet nemo possit in eas angustias compelli, ut peccare sit illi necesse, si tamen duo præcepta simul urgeant, quæ simul adimpleri nequeunt, qui grauiori paret, altero prætermissio non peccat. Vt concilij Toletani decreto, & Gregorij testimonio docemur dist. 13. c. duo mala & c. nerui, & Gersonis [[27]] regula morali & Aristot. doctrina Ethi. tertio quæ ratio in bellis potissimum est ineunda, ut docet idem Ioan. Gerson Auctor grauissimus ibidem, Sic enim disserit. c. de auaritia in bellis faciendis, quæ malis innumeris plena sunt, Nunc ad istos innocentes, nunc ad illos sola utilitas Rei p. excusat a mortali, aut euitatio damni publici, notabiliter peioris, quam sit damnum priuatum ex bello proueniens. Ex hoc igitur præcepto si mala & bona, quæ hoc bellum barbaris importat, ad calculos reuocemus, haud dubie mala bonorum multitudine & grauitate prorsus obruantur. Summa enim malorum est, quod principes mutare coguntur, nec eos omnes, sed quos oportere uisum est, & bonis mobilibus magna ex parte priuantur, auro. s. & argento, quæ metalla apud ipsos in paruo pretio erant, quippe qui, nec aureis, nec argenteis nummis utebantur, & pro his ab Hispanis ferri metallum, quod ad uitæ plurimos usus longe commodius est, accipiunt, præterea triticum, hordeum, legumina, frugiferarum arborum, & oleorum multa genera, equos, mulas, asinos, oues, boues, capras, & alia multa barbaris nunquam uisa, quæ hinc allata felicissime proueniunt in illis regionibus. Quarum rerum singularum commoditate, utilitas, quam barbari ex auro & argento accipiebant, longe superatur. Adde nunc literas, quarum barbari sunditus erant expertes legendi, & scribendi prorsus ignari, adde humanitatem, optimas leges, & instituta, & quæ sola uincit omnes omnium cæterarum rerum commoditates, [[28]] veri dei cognitionem, & religionem Christianam, quibus rebus cognitis, & animaduersis, qui hanc expeditionem impedire conantur, ne barbari ueniant in Christianorum ditionem, hos ego non barbaris humane fauere ut ipsi uideri uolunt, sed eisdem plurima & maxima bona crudeliter inuidere contendam. Quæ bona ingnaua & importuna ipsorum sententia, uel tolluntur omnino uel plurimum retardantur. Neque tamen negauerim posse tempus incidere, cum sit a subiectione barbarorum licet cogendi facultas adsit temperandum,

ut si quis Princeps cum sua ciuitate aut gente, non metu, & simulatione, sed sua sponte bona fide spiritu dei afflatus, magistros Christianæ religionis a nostris postularet, si quoue alio casu recta ratio in maxima rerum humanarum uarietate. quam vna regula metiri non possumus, barbarorum saluti aliter consulere adhortaretur, legibus enim atque præceptis, quid in quoque genere magna ex parte fieri oporteat constituitur. Cætera quæ extra ordinem accidunt, iustorum Principum & proborum virorum qui rebus gerendis præfuerint prudentiæ. Prout ratio boni publici postulabit administranda relinquuntur. Vt Philosoph. Polit. 3. & ethic. lib. 5. declarat.

Ad septimum, quod Paulus ad se pertinere negat, de eis qui foris sunt iudicare, hunc habet intellectum, non esse muneris Apostolici, ut a Christianis, sic ab eis qui extra fidem sunt, vitæ rationem poscere, & ut Christiane uiuant postulare. Cæterum dare operam, ut iidem ad Christi fidem conuertantur, ac eis euangelium prædicare & omnia quæ ad hoc commode præstandum conducunt [[29]] pro facultate conari proprium esse muneris Apostolici non solum eiusdem Pauli. Sed omnis omnium Apostolorum uita & ob id appetita mors testificatur.

Quod uero pertinet ad æditionem libri, in quo belli faciendi, Iustitia & ratio, & quod iure, quid iniuria fiat, declaratur & crudeliter, atque auare facta uituperantur si quis miles aut præfectus per occasionem libri se peccasse dixerit, is per ignorantiam affectatam, & malitiam, seu per scandalum Pharisæorum deliquisse facile conuincetur. Contra uero ex editione libri, hæc maxima commoda consequentur, Tolletur magnum scandalum & infamia Regum nostrorum & nationis, qui vulgo propter falsam, aut male intellectam quorundam Theologorum doctrinam iniuste & tyrannice hos barbaros in suam ditionem redegisse putantur, ut quidam nuper impudentissime prodidit. Deinde qui ex hac expeditione aurum, uel argentum retulerunt, quid iuste, quid iniuste parauerint, quid iure retinere possint, quid restituere debeant facile & ab ipsis, & a sacerdotibus, quibus peccata confitentur, intelligitur. Nunc enim utrique in magna iuris ignoratione uersantur.

Postremo, quæstione perorata, si Rex perstet in sententia, confessor contrariam probet, num recte pieque ab eo possit absolui, respondes statuisque posse, propterea quod utraque opinio probabilis sit, seque pari doctorum numero tueatur, quod si ita est obsecro te Præsul grauissime, quid tibi & istis meis areopagitis in mentem uenit in causa dubia regem uestrum, uestramque nationem iudicio uestro condemnare infamiaque notare, & cum [[30]] magno totius orbis scandalo sumi sacerdotis Ecclesiæque iudicium atque decretum tam sine causa rejicere, ut contemnere uideamini. hoc igitur dicerem si causa, ut uobis uidetur, esset dubia, nunc autem meis rationibus expositis, si uerum quærimus nihil habet ambiguitatis. Istorum enim opinio, nec uera est, nec probabilis.

Nam quod memoras de doctorum seu iudicum numero uide ne parum diligenter rationem suffragiorum inieris pro ista. n. opinione de scriptoribus solus Thomas Caietanus facit, nec id aperte, ex cæteris autem nemo, qui meæ sententiæ fundamenta ex me uel meis scriptis plane cognouerit, præter admodum paucos ambitione corruptos, qui ueritatem scienter & pertinaciter oppugnant, ne ab eo quod uoce, aut comentariolis ipsi uel adiurati amici predicauerant, cum aliqua existimationis iactura discedere uideantur. Nostra uero sententia auctores habet ex Philosophis Principem ipsorum Aristotelem Pol. 1. c. tertio & quinto. Ex iuris Pontificij peritis nobiscum faciunt consultissimi quique in. c. quod super his de uoto. Ex Theologis uero August. Ambro. Gregorius & Thomas uiri sanctitate & doctrina clari, qui omnes uim apertissime probant, ut in hæreticos, sic etiam in paganos, ut demonstraui. Item Ioan. Scotus, qui. 4. sententiarum dist. 4. q. ultima maiorem

etiam uim infidelibus horumque silijs adhibendam censet. Nicolaus Lyra numer. 31. Mag. Roa. explicans art. Poli. 1. Io. Maioris qui. 4. sentent. dist. 44. q. 3. hanc in barbaros expeditionem nominatim probat. Alfon. Castrus lib. 2. de iusta hæreticorum [[31]] punitione qui & ipse nuper Salmanticæ summa quæstionis, quam ipse confeceram diligenter, ut idem Chirographo quod penes me est profitetur perlecta & considerata libellum meamque sententiam sine ulla exceptione probauit. Ad summam meum librum antequam uersutus & inimicus homo Zizaniam figmentis disseminasset, nemo legit, & intellexit, quin magnopere probaret, in primisque quatuor doctissimi, & grauissimi uiri Fernandus Gueuara, & Franciscus Montaluus regij consiliarij, Aluarus Moscosus, Didacus Victoria monachus dominicanus, quibus singulis libri mei examen a regio consilio fuit commissum, quorum theologorum Iudicium, quod uterque sua manu operi subscripsit, subieci.

Perlegi hoc opus, in quo nihil inueni a ueritate alienum, sed plura quæ legantur digna, adeoque opus cum auctore non modo commendo, sed admiror. Fr. Didacus de Victoria. Quam sententiam nunquam ille contra communem suorum persuasionem tam libere & incunctanter pronuntiasset, nisi Francisci fratris Germani doctissimi & animo ingenuo liberoque uiri, qui bidui aberat auctoritate fuisset confirmatus, cum quo librum meum quem diu causis illatis retinuit & consilium comunicasse claris coniecturis pro certo mihi persuassi. Moscosus autem ita subscripsit.

Et ego legi hoc opus docte elaboratum, & nihil inueni quod meo iudicio probabilitate careat, immo ea quæ ex sacris literis & sacris doctoribus hic adducuntur, ita suadent huius doctoris intentum, ut nullus quamuis proteruus oppositum audeat affirmare. Moscosus. nec est [[32]] silentio prætereundum grauissimum amplissimi & doctissimi uiri Fernandi Valdesij Hispalensis Archiepiscopi & Inquisitoris generalis testimonium, qui cum meum librum & summam quæstionis, de qua dixi semel & iterum legisset, nuper post præclarum illud iudicium in doctissimorum grauissimorumque virorum consessu. cum de his rebus quæ tunc erant in ore omnium, cui. n. non scandalo fuit, res tam insperata? pauca disseruisset. Dicam, inquit, quod sentio, qui hunc librum impediendi auctores initio fuerunt, hi multo magis ex officio facerent, si sedulo darent operam, ut idem grandioribus literis excusus ex pulpitis per omnem Hispaniam prædicaretur. Idem sæpe professus est Petrus Ortisius præstanti doctrina Theologus, in cuius immatura morte magnam nuper iacturam studia theologica fecerunt.

Petrus Sotus monachus Dominicanus Caroli Cæsaris sacræ confessionis administer, in æpistola quam ad me misit, negat se ullo modo de iusticia belli huius dubitare sed ne libri æditionem properarem me in eadem æpistola sollicite semel & iterum, nescio qua ratione ductus, adhortatur. Idem Palam asserunt Ioa. Egidius, qui Salmanticæ ex cathedra theologiam docet. & honcala canonicus Auilensis primarij theologi, quorum hic non uoce tantum sed etiam scripto sententiam suam testatus est. Et Alfonsus Herrera monachus Dominicanus concionator regius uir doctissimus animo candido & ingenuo, qui cum mea scripta legisset, meque differentem audisset ex me, inquit, Genesi coniecturam facio, nec puto a te quenquam dissentire, nisi qui te tuaque scripta, uel non [[33]] audierit, uel non intellexerit. Item nobis suffragantur magno consensu hispalenses theologi, qui nuper summam quæstionis diligenter perlegerunt, in primisque duo uiri doctissimi Ludouicus Caruaialus Franciscanorum præfectus & Augustinus Sbaroia monachus dominicanus, qui theologiam ex cathedra in suorum collegio docet. Præterea uir, ut auctoritate, sic doctrina Præstans Michael Arcus Dominicani ordinis

in bætica præsectus Prouincialis qui nuper in Cordubensi cænobio re diligenter ex meis scriptis, meque disserente perspecta, & cum doctis monachis non paucis collata, non solum meam sententiam cæteris, quos dixi, & imprimis Martino Mendoza eiusdem cænobij præfecto grauissimo & ægregia doctrina uiro consentientibus palam probauit, sed etiam mirari se se professus est, quæ causa impressionem libri huius moraretur, qui ad multorum errorem tollendum, & mentes scrupulis, & aculeis conscientiæ perperam fortassis iniectis explicandas magnopere pertineret a cuius sensu non abhorreere uirum ei doctrina & auctoritate similem Dominicum cognomento sanctæ Crucis eiusdem ordinis ad Castellam præfectum Prouincialem, nuper mihi retulit Dominicus a Cruce cognominatus ad nouam Hispaniam Præfectus & ipse Prouincialis, qui cum alijs perspectæ probitatis & religionis monachis ex illo altero orbe missus fuit, vt Carolum Cæsarem coram quid boni publici, & iustitiæ ratio postulet edocerent, peterentque (id quod impetrarunt) vt pro sua prudentia, & æquitate tumultibus illarum regionum incolarum Hispanorum, & seditionibus [[34]] leges temperando prospiceret, & pro sua sapientia modum imponeret tantis malis, quæ mala, si uerum quærimus ex unius hominis uel errore nostræ huic sententiæ contrario, uel etiam temeritate & rerum nouarum studio primam originem habuerunt, pro quibus malis, & quietis impatiente animo, qui nos quoque hic exercet homini malum cupere, uel imprecari alienum est meæ naturæ, & instituto, quin magis precor, ut deus illi meliorem mentem prebeat, quo discat aliquando quietas cogitationes turbulentis consilijs anteferre. Ad summam, ut unde sumus digressi reuertamur, a nobis sunt omnes eruditi, quibuscunque meam sententiam, & rationes exposui, præter paucos quos dixi, ambitione, aut alio grauiore morbo corruptum, & repugnantem animum gerentes, quos ipsos tamen tergiuersantes, & laborantes disputatione coegi, ut ad leuissima & plane indocta commenta, nolo enim dicere puerilia, miserabiliter confugerent more factiosorum hominum, qui in ciuilibus contentionibus. & magnis rerum angustijs ergastula soluunt. Longe igitur dispar nostra, & aduersariorum causa est. A quibus si ceteris in rebus tantopere uinceremur, quanto sumus superiores. Vna tamen summi Sacerdotis, & Ecclesiæ Sacrosancta, qua ipsi nitimur auctoritas in hac mores, & religionem publice attingente causa, omnes omnium aliorum iudicum sententias pondere, & maiestate apud pios omnes longe superaret, nec superaret modo, sed etiam pertinaciter obsistentes, hæreticos esse conuinceret. Vt igitur dicam quod sentio, & aliquando perorem, haud equidem uideo, [[35]] quomodo istorum opinio defendi queat quæ fundamentis, & strophis hæreticorum nititur, Euangelio, & sacrorum doctorum consentientibus declarationibus, & testimonijs aduersatur, a uetere iudicio Ecclesiæ dissentit, & nouum eiusdem grauissimum decretum, & rescriptum nostris principibus Apostolicum oraculum ex diuino præcepto (de quo est Deut. 17. & c. per venerabilem, qui filij sint legit) consulentibus datum contemnit, aut quomodo non sit hæretica, si rebus, & rationibus cognitis, cum pertinacia defendatur.

¶ Hoc opus iudicio doctissimorum & grauissimorum dominorum Philippi Archinti Sanctissimi domini nostri Papæ Vicarij, & Aegidij Foscararij magistri Sacri Palatij, ac Antonij Augustini auditoris Rotæ examinatum & approbatum & multorum aliorum eruditissimorum virorum consensu in vrbe commendatum.

Impressum fuit Romæ apud Valerium Doricum & Ludouicum fratres Brixienses. Prima Maij Anno a Christo nato. M. D. L.

[[36]]

[[37]] **DECRETVM ET INDVLTVM ALEXANDRI SEXTI.
SVPER expiditione in barbaros noui orbis quos Indos vocant.**

IN NOMINE DOMINI Amen. Nouerint vniuersi hoc presens publicum trasumptum inspecturi quod nos Iacobus Conchillos Dei & apostolice sedis gratia Episcopus Cathaniensis: habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus infrascriptas litteras felicitis recordationis Alexandri Pape sexti eius uera bulla plumbea cum cordulis sericeis, croceique coloris more Romane curie impendentis bullatas sanas siquidem & integras ac omnimoda suspitione carentes huiusmodi sub tenore. ALEXANDER Episcopus seruus seruorum dei carissimo in christo silio Ferdinando Regi & carissime in Christo filie Elisabeth Regine Castelle Legionis, Aragonum, Siciliae & Granate illustribus salutem & apostolicam benedictionem. Inter cetera diuine maiestati beneplacita opera & cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum existit ut fides catholica & Christiana religio nostris presertim temporibus exaltetur ac ubilibet ampliatur & dilatetur animarumque salus procuretur ac barbarae nationes deprimantur & ad fidem ipsam reducantur. Vnde cum ad hanc sacram Petri sedem diuina fauente clementia (meritis licet imparibus) euocati fuerimus cognoscentes [[38]] vos tanquam ueros catholicos Reges & principes quales semper fuisse nouimus & a uobis preclare gesta toti pene iam orbi notissima demonstrant: ne dum id exoptare sed omni conatu, studio & diligentia: nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis etiam proprium sanguinem effundendo efficere ac omnem animum uestrum omnesque conatus ad hoc iamdudum dedicasse quemadmodum recuperatio regni Granate a tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per uos cum tanta diuini nominis gloria facta testatur. Digne ducimur non immerito & debemus illa uobis etiam sponte & fauorabiliter concedere per que huiusmodi sanctum & laudabile ac immortalis deo acceptum propositum in dies feruentiori animo ad ipsius dei honorem & imperij Christiani propagationem prosequi ualeatis. Sane accepimus quod uos qui dudum animum proposueratis aliquas insulas & terras firmas remotas & incognitas ac per alios hactenus non repertas querere & inuenire ut illarum incolas & habitatores ad colendum redemptorum nostrum & fidem catholicam profitendum reduceretis: hactenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granate plurimum occupati huiusmodi sanctum & laudabile propositum uestrum ad optatum finem perducere nequiistis sed tandem sicut domino placuit regno predicto recuperato, uolentes desiderium adimplere uestrum dilectum filium Christophorum Colon uirum utique dignum & plurimum commendandum ac tanto negotio aptum cum nauigijs & hominibus ad similia instructis non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinastis ut terras firmas & insulas [[39]] remotas & incognitas huiusmodi per mare ubi hactenus nauigatum non fuerat diligenter inquireret. Qui tandem (diuino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano nauigantes certas insulas remotissimas & etiam terras firmas que per alios hactenus reperte non fuerant) inuenerunt in quibus quam plurime gentes pacifice uiuentes & ut asseritur nudi incedentes nec carnibus uescentes inhabitant, & ut prefati Nuncij uestri possunt opinari gentes ipse in Insulis & terris predictis habitantes credunt vnum deum creatorem in celis esse ac ad fidem catholicam

amplexandum & bonis moribus imbuendum satis apti uidentur spesque habetur quod si erudirentur nomen saluatoris domini nostri Iesu Christi in terris & insulis predictis facile induceretur. Ac prefatus Christophorus in vna ex principalibus Insulis predictis iam unam turrim satis munitam in qua certos Christianos qui secum iuerant in custodiam & ut alias Insulas ac terras firmas remotas & incognitas inquirerent posuit: construi & edificare fecit. In quibus quidem Insulis & terris iam repertis aurum aromata & alie quam plurime res pretiose diuersi generis & diuerse qualitatis reperiuntur. Vnde omnibus diligenter & presertim fidei catholice exaltatione & dilatatione (prout decet catholicos Reges & principes) consideratis: more progenitorum uestrorum clare memorie Regum terras firmas & Insulas predictas illarumque incolas et habitatores uobis diuina fauente clementia subijcere et ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur huiusmodi uestrum sanctum & laudabile propositum [[40]] plurimum in domino commendantes ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur & ipsum nomen saluatoris nostri in partibus illis inducatur: Hortamur uos quam plurimum in domino & per sacri lauacri susceptionem qua mandatis apostolicis obligati estis & uiscera misericordie domini nostri Iesu Christi attente requirimus ut cum expiditionem huiusmodi omnino prosequi & assumere prona mente orthodoxe fidei Zelo intendatis populos in huiusmodi insulis & terris degentes ad Christianam religionem suscipiendum inducere uelit & debeatis nec pericula nec labores ullo unquam tempore uos deterreant firma spe fiduciaque conceptis quod deus omnipotens conatus uestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negocij prouinciam apostolice gratie largitate donati liberius & audatius assumatis Motu proprio non ad uestram uel alterius pro uobis super hoc nobis oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate & ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine omnes insulas & terras firmas inuentas & inueniendas detectas & detegendas uersus occidentem et meridiem fabricando & construendo unam lineam a polo arctico scilicet septentrione ad polum antarcticum scilicet meridiem siue terre firme & insule inueniente & inueniende sint: uersus Indiam aut uersus aliam quamcumque partem que linea distet a qualibet insularum que uulgariter nuncupantur de los Azores & Cabo verde centum leucis uersus occidentem & meridiem. Itaque omnes insule & terre firme reperte & reperiende detecte & detegende a prefata linea uersus occidentem [[41]] & meridiem per alium regem aut principem Christianum non fuerint actualiter possesse usque ad diem natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime preteritum a quo incipit Annus presens millesimus quadringensimus nouagesimus tertius quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos uestros inuente aliquae predictarum insularum. Auctoritate omnipotentis dei nobis in beato Petro concessa ac vicariatus Iesu Christi qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominij ciuitatibus castris locis & uillis iuribusque & iurisdictionibus ac pertinentijs uniuersis uobis hereditibusque et successoribus uestris Castelle & Legionis Regibus in perpetuum tenore presentium donamus concedimus & assignamus uosque & heredes ac successores prefatos illarum dominos cum plena libera & omnimoda potestate auctoritate & iurisdictione facimus constituimus & deputamus. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem concessionem & assignationem nostram nulli Christiano principi qui actualiter prefatas insulas & terras firmas possederit usque ad predictum diem Natiuitatis domini nostri Iesu Christi ius quesitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus uobis in uirtute sancte obedientie (ut sicut etiam pollicemini & non dubitamus pro uestra maxima deuotione & regia magnanimitate uos

esse facturos) ad terras firmas & insulas predictas viros probos & deum timentes doctos peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores prefactos in fide catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam [[42]] diligentiam in premissis adhibentes. Ac quibuscunque personis cuiuscunque dignitatis etiam imperialis & regalis status gradus ordinis uel conditionis sub excommunicationis latæ sententiæ pena quam eo ipso si contrafecerint incurrant districtius inhihemus ne ad insulas & terras firmas inuentas & inueniendas detectas & detegendas uersus occidentem & meridiem fabricando & construendo lineam a polo arctico ad polum antarcticum siue terre firme & insule inuente & inueniende sint: uersus indiam aut aliam quamcunque partem: que linea distet a qualibet insularum que uulgariter nuncupatur de los Azores & Cabo verde centum leucis uersus occidentem & meridiem ut prefertur pro mercibus habendis uel quauis alia de causa accedere presumant absque uestra ac heredum & successorum uestrorum predictorum licentia speciali. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ceterisque contrarijs quibuscunque: in illo a quo imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes: quod dirigente domino actus uestros si huiusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini breui tempore cum felicitate & gloria totius populi Christiani uestri labores & conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus expediens fuerit deferri: volumus ac motu & scientia similibus decernimus: quod illarum transumptis manu publici Notarij inde rogati subscriptis & sigillo alicuius persone in ecclesiastica dignitate constitute seu curie ecclesiastice munitis ea prorsus fides in iudicio & [[43]] extra ac alias ubilibet adhibeatur que presentibus adhiberetur si essent exhibite uel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre commendationis hortationis, requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis, & uoluntatis, infringere uel ei a usu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datis ROMAË apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice millesimo quadragesimo nonagesimo tertio, quarto nonas Maij pontificatus nostri anno primo.

HAEC declaratio decretum atque concessio Sacrorum canonum sententiæ consentit quæ habetur cap. per uenerabilem. §. rationibus qui filij sunt legitimi & cap. si non. 23. q. 4. in quo inquit Gregorius iustum sanctumque esse bellum quod infidelibus a Christianis infertur ut eis imperio subditis prædicari possit Christi euangelium, ne si imperio subditi non sint, prædicationi & conuersioni eorum qui crediderint impedimento esse possint. Idemque decretum atque concessio potestati Christi inititur qui cum ei secundum humanitatem, ut Hieronimus & Augustinus exponunt data fuisset omnis potestas in cælo & in terra, ut est Matth. ultimo hanc potestatem communicauit vicario suo, quæ quamuis ordinetur ad salutem animarum & bona spiritalia, non tamen excluditur a temporalibus quatenus hæc ordinantur ad spiritalia ut Tho. testatur de Reg. princ. liber. 3. c. 10 [[44]] & 13. subiectio autem barbarorum ad Euangelij prædicationem ordinatur, ad quam Papa non solum potestatem habet a deo, sed etiam preceptum Euangelicum. Non quod Paulus ad se pertinere negat de ijs qui foris sunt iudicare, hunc habet intellectum non esse muneris apostolici ut a Christianis, sic ab ijs, qui extra fidem sunt uitæ rationem poscere, uel ab eis ut Christiane uiuant postulare. Cæterum dare operam ut ijdem ad

Christi fidem conuertantur proprium esse muneris apostolici, non solum ipsius Pauli, sed omnis omnium apostolorum uita, & ob id oppetita mors testificatur. Vide Augustini Epistolas. 48. & 50. & 204. quæ sunt ad Vincentium ad Bonifacium ad Donatum & citantur in decretis. 23. q. 4. c. non inuenitur. c. si Ecclesia. c. displicet. q. 6. c. uides item Epistolas Gregorij 73. primi libri & 60. noni & Ambrosij Epistolas 30. & 31. Nam licet in hereticos disputat Augusti. in eisdem rationibus a Charitate profectis concludit iuste paganos compelli ut desistant idololatra dicto cap. non inuenitur. Thomas secunda secunde. q. 10. ar. 8. infideles inquit compellendi sunt. si facultas adsit ne fidem impediunt blasphemijs uel alia ratione & ideo frequenter bellum in eos fideliter mouent, idem. q. 94. ar. 3. testatur idololatria magnam blasphemiam contineri & fidem opere impugnari. Vnde Lyra super numer. c. 31 iustum esse bellum dicit contra idololatras, ne deum blasphement per idololatriam. Sed omnium maxime facit. c. si non. 23. q. 4. uide etiam Innocentium & ostiensem & Panormitanum in. c. quod super his de uoto.

[[45]] Itaque uis prohibita. c. de Iudæis dist. 45. est nequis inuitus baptizetur aut Christianus esse cogatur. Nam deponere idololatriam & Christianorum imperio parere iustissime compelluntur infideles ne fidei prædicationem & propagationem impediunt, & facilius conuertantur non tamen sunt nec possessionibus spoliandi, nec in seruitutem redigendi.